


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


WIDENER LIBRARY
HX JTZL I

Ga 110.722

Bound

AUG 24 1908



HARVARD UNIVERSITY

LIBRARY OF THE

Classical Department

HARVARD HALL

19253

Theod. Roth.
1845.

eingeb. Berl. 1866.

VINDICIARUM ARISTOPHANEARUM

LIBER.

1332/58

Leipzig, den 26 September 1865

DIE VERLAGSBUCHHANDLUNG

BERNHARD TAUCHNITZ

beehrt sich anbei im Auftrage des Herrn Verfassers ergebenst zu übersenden:

1 Meineke, Vindiciarum Aristophan-
Liber.

Sr Hochwohlgeboren
Herrn Director Koch
Memel

VINDICIARUM

ARISTOPHANEARUM

LIBER.

SCRIPSIT

AUGUSTUS MEINEKE.

EX OFFICINA BERNHARDI TAUCHNITZ

LIPSIAE MDCCCLXV.

Ga 110.722

21 May, 1903
HARVARD UNIVERSITY.
Classical Department.

CONSPECTUS.

ADDENDA.

Equit. 487. καὶ κράγον κεκράξεται. Revocanda librorum scriptura κραγόν. V. Lobeck. Paralip. p. 506.

Ibid. 1295. φασὶ μὲν γὰρ αὐτὸν ἐρεπτόμενον τὰ τῶν ἐχόντων ἀνέρων | οὐκ ἂν ἐξελθεῖν. Vere, opinor, de lectionis integritate dubitavi. Scribendum videtur τῶν ἐχόντων οὐσίας. Cf. Anaxilaus Com. fragm. vol. III. p. 353. ubi parasiti τῶν ἐχόντων οὐσίας σκώληκες appellantur.

Nubb. 1385. καὶ προὐσχόμην. Quae de his in adnotatione critica scripsi, delenda sunt.

Aves 528. Quem ad h. l. tractavi Sophoclis versum θεοῦ δὲ πληγὴν οὐχ ὑπερπηδᾷ βροτός, in eo recte vir doctus (Herwerdenus, nisi fallit memoria) corrigere videtur ὑπεκπηδᾷ.

Ibid. 591. ἀγέλη μία κιχλῶν. Haec librorum scriptura est, quam contra criticorum dubitationes satis mihi muniisse videor; nec de metro timendum esse docet Anaxilas Protes. I, 64. item in anapaestico versu primam syllabam vocis κίχλη producentis, κίχλαι κόρυδοι κίτται κύκνοι.

Ibid. 1313—1334. De his vide quae nunc prudenter, ut solet, disseruit Hauptius Progr. acad. 1865. p. 7 sqq.

Ibid. 1538. ἥπερ ταμιεύει τὸν κεραυνὸν τοῦ Διός. Falsa in adnotatione critica rettuli de scriptura Rav. qui ταμιεύει habet cum ceteris, κεραμεύει Ald.

Plut. 41. *δῆλον ὅτιὴ καὶ τυφλῷ γνῶναι δοκεῖ τοῦθ'.* Quod *τυφλός* scribendum esse conieci, coniecerat iam Hemsterhusius, a recentissimis editoribus neglectus.

Ibid. 586. et 592. *κοτίνῳ στεφάνῳ.* Recipere debebam Porsoni emendationem *κοτινῷ στεφάνῳ.*

Ibid. 842. *τὸ τριβώνιον δὲ τί δύναται πρὸς τῶν θεῶν.* Quod Hemsterhusius coniecit *πρὸς τὸν θεόν*, re iterum perpensa nunc non impedio quo minus probetur.

Ibid. 845. *ἀλλ' οὖν ἐμυήθης δῆτ' ἐν αὐτῷ τὰ μεγάλα.* Ferri sane potest Rav. scriptura *ἐνεμυήθης*, non tamen ut *ἐμμυεῖσθαι* pro *μυεῖσθαι* dici posse concedam; imo *ἐνεμυήθης* dictum est ut in sequente versu *ἐνερρίγωσα* sc. *ἐν τῷ τριβωνίῳ.* Comparari possunt *ἐναποτίνειν, ἐναποπατεῖν* et multa eiusdem generis alia.

Ibid. 917. *ἄρχειν καθίστησιν.* In his *ἀρχήν* (unus cod. *ἄρχην*) coniecit etiam Dobraeus, sed dubitanter et ut cum *ἐξεπίτηδες ἐκ παραλλήλου* positum esse existimet.

Pag. 145, 2. leg. *actum*

ACHARNENSES.

Vs. 2.

ἥσθην δὲ βαιά, πάνυ δὲ βαιά, τέτταρα.

Non assensus sum neque Elmsleio *πάνυ γε βαιά*, neque Dobraeo *πάνυ τι βαιά* scribentibus. Rectissime dictum videtur quod librorum consensus firmat *πάνυ δὲ βαιά*, modo id *ἠθικῶς* pronuntietur. Plane sic nostri dicunt: Freude aber habe ich wenig gehabt; aber auch sehr wenig. At vs. 7. ubi vulgo legitur *ταῦθ' ὡς ἐγανώθην*, aegre me continui quin Elmsleium probarem, *τούτοις ἐγανώθην* corrigentem. Causam mutationis attulit nullam, nisi quod Vesp. 612 adscripsit, ubi legitur *τούτοισιν ἐγὼ γάννυμαι*, quo nihil probatur. Causa offensionis in eo potius est posita, quod *γανοῦσθαι*, licet originatione cum *γάννυμαι* cognatum, tamen cum nunquam simpliciter laetandi significationem habeat, sed proprie sit *hilarem fieri*, *exhilarari*, non recte cum accusativo coniungi posse videtur, nisi forte in oratione sublimiore; ab familiari sermone alienum iudico. Sed utrum *τούτοις ἐγανώθην*, quod Elmsleius suspicatur, an quod ego praetulerim *ταῦθ' ὥς μ' ἐγάνωσε*, an aliud quid poeta scripserit, non discerno.

Vs. 24.

ἥκοντες, εἶτα δ' ὠστιοῦνται πῶς δοκεῖς
ἐλθόντες ἀλλήλοισι περὶ πρώτου ξύλου.

Frequentissimo dicendi usu post participia infertur *εἶτα*, non item *εἶτα δέ*; diversa est Equit. 377 ratio. Recte igitur Dobraeus *εἶτα διωστιοῦνται* corrigi voluit, idque recipere debebam. Quod altero versu vulgo legitur *ἀλλή-*

λοισι περὶ πρώτου ξύλου, in eo desiderabam articulum, quamobrem dedi *ἀλλήλοις περὶ τοῦ πρώτου ξύλου*. Cf. Vesp. 90. *ἢ μὴ 'πὶ τοῦ πρώτου καθέζηται ξύλου*. Articulum facile quis etiam vs. 14. *ᾀσόμενος βοιώτιον* desideret, quo nomine cum certus quidam modus designetur, aptius sane videri possit *ᾀσόμενος τὸ βοιώτιον*, ut 16. *ἐπὶ τὸν ὄρθιον*. sed retinet me Thesm. 1175. *σὺ δ' ὦ Τερηδὼν ἐπαναφύσα περσικόν*.

Vs. 69.

καὶ δῆτ' ἐτρυχόμεσθα παρὰ Καΰστριον
πεδίον ὁδοιπλανοῦντες.

Servavi Dindorfii scripturam, non tamen ut in ea acquiescendum putem. Codices *διὰ Καυστρίων πεδίων*, nisi quod Rav. *παρὰ* habet pro *διά*. Ac singularem *Καΰστριον πεδίον* recte sine dubio restituit Dindorfius, non solere talia plurali numero dici recte affirmans. Sed *παρὰ* an recte dictum sit dubito. Quare videndum ne *παρὰ* ex *περὶ* corruptum sit, *Caystrium campum pererrantes*, cll. Menandro Com. poet. IV. 228. *περιάξω τὴν ἐμαυτοῦ θυγατέρα τὴν πόλιν ὅλην* aliisque. Non male tamen Blaydesius *παρὰ Καΰστριον ποταμὸν* coniecit.

Vs. 77.

οἱ βάρβαροι γὰρ ἄνδρας ἡγοῦνται μόνους
τοὺς πλεῖστα δυναμένους καταφαγεῖν τε καὶ πιεῖν.

His Attici legati versibus Dicaeopolis haec subicit:

ἡμεῖς δὲ λαικαστάς τε καὶ καταπύγονας.

Secundi versus metrum restituturi alii alia coniecere, Morellus autem, quem primus omnium Brunckius secutus est, pro *καταφαγεῖν* scripsit *φαγεῖν*. Mihi omnium simplicissimum videtur particulam *τέ*, quam saepenumero librarii invito metro intruserunt, cum eo qui scripsit cod. B. expungere. Cui Reisigius Coniect. p. 51. opponit prorsus necessariam hic esse particularum *τε καὶ* coniunctionem propter sequentem versum. Existimavit igitur *τοὺς πλεῖστα δυναμένους καταφαγεῖν τε καὶ πιεῖν*, i. e. *τοὺς*

ἀδηφάγους τε καὶ οἰνόφλυγας, oppositos esse τοῖς λαικασταῖς τε καὶ καταπύγοσιν, sensumque esse hunc, apud Persas potatores et phagones, apud Athenienses autem pathicos et καταπύγονας in virorum numero censeri. Enimvero apertum est ironice loqui Dicaeopolin eumque hoc dicere, Athenienses non latum unguem differre a Persis, qui strenuos potatores pro viris habeant. Eadem ironiae specie usus est poeta v. 72. ubi legato conquesto ἐτρυχόμεσθα etc. Dicaeopolis respondet: σφόδρα τἄρ᾽ ἐσωζόμην ἐγώ. Novitius dicendi usus talia per interrogationem efferre solet, ut si dicas: Die Perser nennen nur den einen Mann, der tüchtig essen und trinken kann; wir aber nennen ihn wohl einen Bruder Liederlich? Itaque habes quidem opposita, sed inter ἄνδρας et καταπύγονας, non inter τοὺς πλεῖστα δυναμένους φαγεῖν τε καὶ πιεῖν et λαικαστὰς καὶ καταπύγονας, ut nullus sit locus parallelismo, qualem Reisigius statuebat.

Vs. 111.

ἄγε δὴ σὺ φράσον ἐμοὶ σαφῶς πρὸς τουτονί.

Legebatur πρὸς τουτονί, quod Dindorfio mutata constructione post ἐμοὶ illatum videtur, ut tantundem valeat quam simplex dativus τουτῳί. Quae mihi iusto durior interpretatio visa est neque ob eam causam probabilis. Quare Reiskii emendationem recepi a Dindorfio non commemoratam πρὸς τουτουί. Iurat per baculum quod manibus gestat Dicaeopolis et legato ostentat.

Vs. 117.

καὶ τοῖν μὲν εὐνούχοιν τὸν ἕτερον τουτονὶ
ἐγᾦδ᾽ ὅς ἐστι, Κλεισθένης ὁ Σιβυρτίου.

Non magnam quidem at aliquam tamen de sinceritate lectionis editae dubitandi causam video in eo positam, quod Rav. pro ὅς ἐστι habet ὅστις ἐστί. Itaque facile aliquis coniciat οἶδ᾽ ὅστις ἐστί, sed verum est ἐγᾦδ᾽ ὅτι ἐστὶ Κλεισθένης ὁ Σιβυρτίου.

Vs. 136.

χρόνον μὲν οὐκ ἂν ἦμεν ἐν Θράκῃ πολύν,
εἰ μὴ κατένιψε χιόνι τὴν Θρᾴκην ὅλην
καὶ τοὺς ποτάμους κατέπηξε.

Non sine offensione est quod Theorus de se uno numero plurali utitur, cum in sequentibus et ipse Theorus et Dicaeopolis singulari utatur; intellexit hoc Elmsleius, minus bene tamen *ἔμειν᾽ ἂν* pro *ἂν ἦμεν* coniciens. Credo scripsisse Aristophanem *HMAΔI*, i. e. *ἦ μὰ Δί'*, quod cum proclivi errore abiisset in *HMAIN*, postea id in *ἦμεν* corruptum est. Quod Blaydesius sequente Müllero coniecit *οὐκ ἀπῆν ἂν ἐν Θράκῃ*, non unam ob causam an non recte dictum sit mihi suspectum est.

Quae mox sequuntur verba vs. 139. *ὑπ᾽ αὐτὸν τὸν χρόνον, ὅτ᾽ ἐνθαδὶ Θέογνις ἠγωνίζετο*, parum apte vulgo Theoro continuantur, qui unde resciverit in Thrace Theognidem eodem tempore frigidum drama docuisse non intelligitur. Recte Nauckius ea Dicaeopolidi tribuit.

Quam libere grassati sint librarii in Aristophane, cum aliis multis locis intelligitur tum ex iis quae proxime de Sitalce inferuntur, ubi cum omnes libri habeant *καὶ δῆτα φιλαθήναιος ἦν ὑπερφυῶς ὑμῶν τ᾽ ἐραστὴς ἦν ἀληθῶς*, facile qui vel mediocriter incredibilem huius poetae in dicendo elegantiam perspexerit, *ἦν* pessime hic iterari concedet. Quam ob rem Dobraei coniecturam *ὡς ἀληθῶς* scribentis probarem, nisi faciliore emendatione *νὴ Δί᾽* pro *ἦν* scribendum videretur. *NHΔI* quam facili errore in *HN* corrumpi potuerit apertum est.

Vs. 147. recte Cobetus N. L. p. 157. reposuit *ἠντεβόλει* pro *ἠντιβόλει*. Eandem formam frustra codices Gaisfordo obtulerunt in oraculo apud Eusebium Praep. Ev. V, 12. p. 426. *ἦλθε γὰρ ἠντεβόλησε μέγας θεός.*

Vs. 176.

χαῖρ᾽ Ἀμφίθεε. Α. μήπωγε πρὶν ἂν στιῶ τρέχων.

Haec librorum scriptura est, quam cum alii aliter emendare conati sint, ego ita corrigendam putavi ut *ἑστῶ*

scriberem i. e. ἑστήκω, ut ἑστώς dicitur pro ἑστηκώς. Non impedio tamen quo minus alii rectius πρίν γ' ἂν στῶ coniecisse existimentur.

Vs. 197.

καὶ μὴ 'πιτηρεῖν σιτί' ἡμερῶν τριῶν.

Verissime Hamakerus ἐπιτηρεῖν huic loco minime convenire dixit, non placet tamen quod ipse substitui voluit καὶ μηκέτι μετρεῖν. Neque pertinet huc locus vs. 545. στοᾶς στεναχούσης σιτίων μετρουμένων, ubi de ἐπισιτισμῷ expeditionis agitur, qui differt ab ea re de qua hic agitur. Magis placeret quod Bergkius coniecit καὶ μὴ 'παγείρειν, nisi hoc verbum ab attico sermone alienum esset, nec potius *in unum locum conferre* quam *colligere* significaret. Mihi locus ita sanandus videtur, ut lenissima mutatione καὶ μηκέτι τηρεῖν scribatur; praeterea Reiskio praeeunte versuum ordinem ita mutarim:

αὗται μὲν ὄζουσ' ἀμβροσίας καὶ νέκταρος,
κἂν τῷ στόματι λέγουσι, βαῖν' ὅποι θέλεις,
καὶ μηκέτι τηρεῖν σιτί' ἡμερῶν τριῶν.

Ita coniunguntur quae coniungenda erant; in vulgato autem verborum ordine magnam offensionem habet, quod infinitivus ἐπιτηρεῖν ab ὄζουσι suspensus est. Aptissime autem μηκέτι τηρεῖν dicitur: plenam habes quocunque vis eundi potestatem, neque amplius opus est ut commeatui, quem in tres dies parare iussus es, parcendum putes. Itaque τηρεῖν est σώζειν, φυλάσσειν, nicht angreifen.

In sequentibus vix intelligas quo consilio poeta praesens cum futuro coniunxerit:

ταύτας δέχομαι καὶ σπένδομαι κἀκπίομαι.

Recte dixit δέχομαι, sed libatio cum postea demum futura sit, malim equidem σπείσομαι κἀκπίομαι.

Eorum quae inde a vs. 201. sequuntur magna est incongruentia, quam unus omnium optime composuit Hamakerus, cuius sententiam indicavi in adnotatione critica. Nolui tamen quidquam mutare in recepto versuum ordine.

Vs. 216.

σπονδοφόρος οὗτος ὑπ' ἐμοῦ τότε διωκόμενος —

Aut in hoc versu aliquid superest, aut in antithetico aliquid deest; illud qui statuit Hirschigius ὑπ' ἐμοῦ τότε delenda et ὁ διωκόμενος scribendum existimat, inepte enim dictum esse τότε, cuius loco potius νῦν requiri statuit. Hoc quidem falso; quidni enim recte dicatur, in iuventute mea, cum genua virerent, haud facile ille, si tum eum persequutus essem, mihi evasisset. Neque illud recte dixit Hirschigius, τὸν σπονδοφόρον esse Dicaeopolin. Itaque in illo versu nihil est quod non recte dictum sit, nec dubium est quin vitium in antithetico versu quaerendum sit.

Vs. 292.

ἀντὶ δ' ὧν ἐσπεισάμην οὐκ ἴστε γ'. ἀλλ' ἀκούσατε.

Pessime illata est post ἴστε particula γέ, qua merito offensi Dobraeus ἴστε μ', Dindorfius autem, quod nunc ipse certissime improbabit, οἶδατ' scripserunt. Rav. ἴσατ', Γ. ἴστε τ'. Hinc posui minima mutatione οὐκ ἴστε· μἀλλ' ἀκούσατε. Nunc tamen praeferendum puto cum Alberto Müllero quod Hamakerus et ante hunc iam Bergkius proposuit ἀντὶ δ' ὧν ἐσπεισάμην ἀκούσατ', ἀλλ' ἀκούσατε.

Vs. 300.

ὥς μεμίσηκά σε Κλέωνος ἔτι μᾶλλον, ὃν ἐ-
γὼ τεμῶ τοῖσιν ἱππεῦσι καττύματα.

Ita haec edidi, cum vulgo legatur ὃν ἐγὼ κατατεμῶ metro invito. Frequentissime Aristophanis codices composita habent pro simplicibus. Hic quidem κατατεμῶ ab iis illatum erat quibus simplex non rectum videretur At ita Euphron in Fragm. Com. IV. p. 494. γυγγυλίδα ταύτην ἔτεμε λιτὰ καὶ μακρά et Sotades III. p. 586. τεμὼν δὲ λεπτὴν τῆς χλόης.

Vs. 307.

πῶς δ' ἔτ' ἂν καλῶς λέγοις ἄν, εἴπερ ἐσπείσω γ' ἅπαξ —

Satis audaci coniectura Hamakerus δοκοίης scripsit pro λέγοις ἄν. Nec multo lenius Bergkius Λάκωσιν re-

poni voluit, id ut ad sequentia trahatur et ab ἐσπείσω pendeat. Non video iustam mutandae librorum scripturae causam, *quo tu pacto* καλῶς *te* σπείσασθαι *dicas?*

Vs. 313.

οὐχ ἁπάντων, οὐχ ἁπάντων· ἀλλ' ἐγὼ λέγων ὁδὶ
πόλλ' ἂν ἀποφήναιμ' ἐκείνους ἔσθ' ἃ κἀδικουμένους.

Non coire πολλὰ cum ἔσθ' ἃ recte sane monuit Hamakerus, sed male corrigit ἐγῷ λέγων ὁδὶ μεγάλ' ἂν ἀποφήναιμι, in quo ἐγῷ craseos genus est prorsus inauditum. Verba sic ordinanda sunt ἐγὼ ὁδὶ πολλὰ λέγων ἀποφήναιμ' ἄν, i. e. *longa oratione ostendere possim esse etiam quae illi a nobis iniuste passi sunt.* Obfuit viris doctis quod πολλὰ cum λέγων coniungendum esse ideo non viderent, quoniam sic ἂν particula non suo loco iis posita esse videretur. Atqui plane sic Pac. 137. ἀλλ' ὦ μέλ' ἄν μοι σιτίων πολλῶν ἔδει. Plut. 119. ὁ Ζεὺς μὲν οὖν οἶδ' ὡς τὰ τούτων μῶρ' ἔμ' εἰ πύθοιτ', ἂν ἐπιτρίψειε. Ran. 556. προσεδόκας, ὁτιὴ κοθόρνους εἶχες, ἂν γνῶναί σ' ἔτι.

Vs. 317.

κἄν γε μὴ λέγω δίκαια μηδὲ τῷ πλήθει δοκῶ,
ὑπὲρ ἐπιξήνου θελήσω τὴν κεφαλὴν ἔχων λέγειν.

Vix dici potest quam portentosas plerique critici coniecturas in medium attulerint, ut pravos secundi versus numeros corrigerent; melius haud dubie ii, qui τὴν κεφαλὴν ex interpretatione illatum censerent poetamque scripsisse dicerent τήνδ' ἔχων ἐγὼ λέγειν, vel τήνδ' ἔχων ὑμῖν λέγειν. Mihi quoque de interpretamento persuasum erat, sed ita ut ex vs. 355. rescribere ausus sim:

ὑπὲρ ἐπιξήνου θελήσω πάνθ' ὅσ' ἂν λέγω λέγειν.

Quae si non genuina, at certe tamen non indigna Aristophanis elegantia scriptura est. Plus ausus Hamakerus totum versum expunxit, quod cum sine detrimento aequabilitatis, qua totum hoc chori et Dicaeopolidis colloquium regitur, fieri non posse intellexisset, eadem opera

vir doctus vs. 316. eliminavit, cuius adeo ne graecam quidem orationem esse affirmavit quidem, at demonstrare supersedit. Novissime Albertus Müller ex Hansingi coniectura edidit *τήν γε κεφαλὴν σχὼν λέγειν*, me quidem quae *γέ* particulae hic vis esse possit nesciente; plurimum differunt ab h. l. quae plena manu affudit vir doctissimus eius voculae inter articulum et substantivum positae exempla. Itaque malim *τήνδε κεφαλήν*, *hoc meum caput*. Ad *σχὼν* comparari potest Hom. Od. I, 157.

Vs. 336.

ἀπολεῖς ἄρ᾽ ὁμήλικα τόνδε φιλανθρακέα·

Ita haec Reisigius scripsit, libri *ἄρα τὸν ἥλικα* praeter *Δ*. qui habet *ἄρα θ᾽ ἥλικα*, in quo *ἄρ᾽ ἀφήλικα* latere suspicatus sum, nescius tum idem placuisse Bergkio Comm. de Antiqua Com. p. 259. Nunc nescio an praestet sensu contrario scribere *ἀπολεῖς ἄρα τήλικα*, *hunc tantulae aetatis carbonarium.*

Vs. 396.

οὐκ ἔνδον ἔνδον ἐστίν, εἰ γνώμην ἔχεις.

Haec non recte dicta esse intellexit Reisigius, qui *κοὐκ ἔνδον ἔνδον τ᾽ ἐστίν,* coniecit, quod graece ita potius dicendum erat *κοὐκ ἔνδον καὶ ἔνδον ἐστί.* Rectius sine dubio Cobetus *οὐκ ἔνδον ὢν ἐστ᾽ ἔνδον.* Sed quis praestet haec non gravius corrupta esse, poetam autem dedisse *ἔνδον τε κοὐκ ἐστ᾽ ἔνδον,* quo ducere videtur quem poeta ob oculos habuit locus Euripidis Alc. 521. *ἔστιν τε κοὐκ ἔτ᾽ ἐστίν.* Nisi praeferas quod omnium facillimum videtur *οὐκ ἔνδον ἔνδον τ᾽ ἐστίν.*

Vs. 435.

ὦ Ζεῦ διόπτα καὶ κατόπτα πανταχῇ.

Ut alia multa hac in scena, ita etiam haec ex Euripide adumbrata esse dixi in Philologo Gott. vol. XIV. p. 20. Genuinam versus Euripidei formam elicere licebit ex Anonymo in Vita Arati vol. II. p. 439. ed. Buhl. *ὅτι*

καὶ οἱ ποιηταὶ (Δία) πανόπτην καλοῦσι πανταχοῦ. ὦ Ζεῦ πανόπτα. καὶ Ἥλιος ὃς πάντ' ἐφορᾷς. Quae sic redintegranda sunt *πανόπτην καλοῦσιν 'ὦ Ζεῦ πανόπτα καὶ κατόπτα πανταχοῦ'.* Sequentem Aristophanis versum *ἐνσκευάσασθαί μ' οἷον ἀθλιώτατον,* recte Brunckius eliminari voluit.

Vs. 486.

ἄγε νυν ὦ τάλαινα καρδία,
ἄπελθ' ἐκεῖσε, κᾆτα τὴν κεφαλὴν ἐκεῖ
παράσχες εἰποῦσ' ἅττ' ἂν αὐτῇ σοι δοκῇ.

Hamakerus forsan non iniuria suspectat *ἄπελθ',* cui *πάρελθ'* substituit. Si quid mutandum, malim equidem *ἄγ' ἔλθ' ἐκεῖσε.* Recte idem *εἰποῦσα* ineptum esse dicit eique substituit *εἰπέ θ'.* Sed tales emendationes parum probabiles sunt; facilius credam a poeta scriptum esse *παράσχες εὑροῦσ' ἅττ' ἂν αὐτῇ (εἰπεῖν?) σοι δοκῇ.*

Vs. 490.

τί δράσεις; τί φήσεις; ἀλλ' ἴσθι νῦν
ἀναίσχυντος ὢν σιδηροῦς τ' ἀνήρ.

Codd. *ἀλλ'* omittunt, metri causa inseruit Hermannus. Consultius fuerit quod post *φήσεις* facile excidere potuit ante *ἴσθι* adiicere *εὖ.* Iusto audacius Nauckius Bulletin de l'Acad. de St. Pétersb. VI. p. 50. verba *ἴσθι νῦν* delevit. Neque in seqq. 504. tentari debuit quod frequens dicendi genus est, *αὐτοὶ γάρ ἐσμεν, soli, sine arbitris sumus.* Ne longe abeam vide Thesmoph. 472. et Lucianum Dial. deor. X, 2. cf. Cobetum Var. Lect. p. 111.

Vs. 541.

ἐρεῖ τις οὐ χρῆν. ἀλλὰ τί ἐχρῆν εἴπατε.
φέρ' εἰ Λακεδαιμονίων τις ἐκπλεύσας σκάφει
ἀπέδοτο φήνας κυνίδιον Σεριφίων,
καθῆσθ' ἂν ἐν δόμοισιν;

Versu primo, quem Euripidis esse affirmat scholiasta, ex Rav. scripsi *τί ἐχρῆν εἴπατε.* Vulgo *τί χρῆν εἴπατε.*

Numeros tragicos requirentes critici alius alia tentaverunt, iniuria ut mihi videtur. Euripidis non nisi verba sunt *ἐρεῖ τις οὐ χρῆν*. Idque etiam scholiasta indicavit *ἐρεῖ τις οὐ χρῆν: καὶ τοῦτο ἀπὸ Τηλέφου Εὐριπίδου*. Maior reliquorum difficultas est, in quibus quid *φῆνας* significet nondum a quoquam ita explicatum vidi ut satis fecerit. Novissime Hamakerus tentavit *δήσας*, sed ut eadem opera *Κύθνιον ἢ Σερίφιον* scribendum coniceret. Müllerus *κλέψας*, quod bonum ad sensum est, sed nullam a facilitate mutationis commendationem habet. Mihi coniectura lenissima *σήνας* scribendum esse videtur hoc sensu: Lacedaemonius quidam vendidit catulum Seriphiorum, quem blandimentis demulsum ad se allexerat.

Vs. 546.

θορύβου στρατιωτῶν, περὶ τριηράρχου βοῆς.

Non credo haec corrupta esse, sed comparandum quod dixit Aristophanes Equ. 666. *οἱ δ' ἐθορύβουν περὶ τῶν ἀφύων*. Itaque virgula post *στρατιωτῶν* delenda est. Qui mox sequuntur versus 549. 550. frustra transponit Hamakerus; apertum est consulto diversisissima iungi, nec magis ceterae in h. l. eius emendationes probari possunt, nisi quod *ποτηρίων* quod pro *τροπωτήρων* reponit veri quandam speciem habet.

Vs. 575.

εἴτε τίς ἐστι ταξίαρχος ἢ στρατηγος ἢ
τειχομάχας ἀνήρ, βοηθησάτω τις ἀνύσας.

Iusto calidius secutus sum cum aliis Elmsleium, *ταξίαρχός τις ἢ* scribentem et *στρατηγὸς ἢ* delentem; nec de metro metuendum, in quo cum dochmio iambicus dimeter coniunctus est. Sed *τειχομάχας* sane suspectum est, vix enim dicas, quo consilio moenium expugnator auxilio vocetur; non valde tamen placet quod Hamakerus excogitavit *πεζομάχας*. Fortasse *τευχομάχας* scripsit poeta i. e. *ὁπλομάχος* sive *ὁπλίτης*, quamquam aliud huius nominis, fort. ex Euripide derivati, exemplum non habeo.

Ceterum similiter dixit Xenophon Anab. III, 1, 4. *οὔτε στρατηγὸς οὔτε λοχαγὸς οὔτε στρατιώτης ὢν συνηκολούθει.* Pro *τις ἀνύσας* cum Elmsleio *τι ἀνύσας* scribendum.

Vs. 580.

ΛΑ. τί δ' εἶπας ἡμᾶς; οὐκ ἐρεῖς; ΔΙΚ. οὐκ οἶδά πω·
ὑπὸ τοῦ δέους γὰρ τῶν ὅπλων εἰλιγγιῶ.

Haec manifesto corrupta sunt, ac fortasse recte Bergkius *οὐκ οἶδα. πῶς;* coniecit, ut *πῶς;* Lamachus dicat. Non male tamen, ut mihi quidem videtur, legeretur *οὐκ οἶδ' ὅπως ὑπὸ τοῦ δέους τῶν σῶν ὅπλων εἰλιγγιῶ,* quod Dicaeopolide animi consternationem seu simulante sive vere sentiente dignissimum videtur. Nec displiceret *οὐκ οἶδ' ἐγώ,* quo pacto cetera servari possunt.

Vs. 583.

ΔΙΚ. φέρε νυν ἀπὸ τοῦ κράνους μοι τὸ πτερόν.
ΛΑ. τουτὶ πτίλον σοι.

Mirum est Dicaeopolin a Lamacho *τὸ πτερὸν* petere, quasi aut totam cristam expeteret, aut Lamachus unam tantum pennam pro crista gestaret. Vide igitur ne scribendum sit *φέρε νυν ἀπὸ τοῦ κράνους μοι δὸς πτερόν,* ut *φέρε νυν* sit *age igitur.* Redit articulus ante *πτίλον* vs. 587. *οὗτος τί δράσεις; τῷ πτίλῳ μέλλεις ἐμεῖν;* neque ibi magnam offensionem habet, quamquam praeferrem equidem, si etiam hoc loco articulus abesset versusque ita refingeretur *οὗτος τί δρασείεις; πτίλῳ μέλλεις ἐμεῖν;*

Vs. 591.

οὐ γὰρ κατ' ἰσχύν ἐστιν· εἰ δ' ἰσχυρὸς εἶ,
τί μ' οὐκ ἀπεψώλησας;

Pronomine cum carere vix liceat, Bergkius *οὐ σὴν κατ' ἰσχὺν* scripsit. Facilius mihi visum est locum ita refingere *οὐ γὰρ κατ' ἰσχύν σοὐστίν.* Corruptum item est *ἀπεψώλησας,* cui Bergkius *ἀπεπτίλωσας,* Hamakerus autem *ἀπεσπόδησας* substituit. Quorum neutrum magnam veritatis speciem habet. Scribendum potius coniectura

ut mihi videtur certissima τί μ' οὐ κατεψώλησας, i. e. τῇ ψωλῇ κατήλασας, quemadmodum καταγιγαρτίσαι dixit Aristophanes Acharn. 275. in quo verbo γίγαρτον non de muliebri membro, ut schol. opinatur, sed de virili parte intelligendum videtur. Similiter nequitiarum magistri utuntur voce κόκκος.

Vs. 595. 597.

ὅστις; πολίτης χρηστός, οὐ σπουδαρχίδης.
σὺ δ' ἐξ ὅτου περ ὁ πόλεμος, μισθαρχίδης.

Raram vocem σπουδαρχίδης restituendam esse credo Eupolidi in Bekkeri Anecd. p. 453, 21. (Fragm. Com. II. p. 518.) ἄσπουδος· ὁ μὴ σπουδαῖος· οὕτως Ἀρχίδης. Εὔπολις Πόλεσιν ' ἄσπουδος δ' ἀνὴρ σπουδαίου κακίων'. Quae foede corrupta sunt. Corrige ὁ μὴ σπουδαρχίδης. οὕτως Ε. Πόλεσιν ' ἄσπουδος δ' ἀνὴρ σπουδαρχίδου κακίων'. In sequente versu nescio quid nominis sit μισθαρχίδης, quod pessime de mercenariorum duce interpretantur. Itaque scripsi μισθαρνίδης, i. e. μισθὸν ἀρνύμενος.

Vs. 685.

ὁ δὲ νεανίαν ἑαυτῷ σπουδάσας ξυνηγορεῖν
ἐς τάχος παίει ξυνάπτων στρογγύλοις τοῖς ῥήμασιν.

Ita haec edidi cum Dindorfio Elmsleium sequutus; librorum scriptura est ὁ δὲ νεανίας, a qua qui recedendum esse recte negavit Hamakerus, ἐσάττει corrigit pro ἑαυτῷ, et κὰς τάχος pro ἐς τάχος. Hoc invento viri acutissimi sic utendum arbitror ut vix litera mutata scribatur: ὁ δὲ νεανίας ἐσάττων σπουδάσας ξυνηγορεῖν, in quibus σπουδάσας ξυνηγορεῖν de simulato senem defendendi studio interpretor. Ad ἐσάττων compara Equ. 363. ἐγὼ δ' ἐπεσπηδῶν γε τὴν βουλὴν βίᾳ κυκήσω.

Vs. 690.

εἶτα λύζει καὶ δακρύει καὶ λέγει πρὸς τοὺς φίλους.

Haec quamquam nihil habent in quo quis merito haereat, tamen non invito, ut opinor, poeta revocavi scriptu-

ram a scholiasta commemoratam εἶτ' ἀλύει καὶ δακρύει. Si unquam hic certe alliterationi suus locus erat; quo accedit quod ἀλύειν aptissime dictum est de sene captiosis iuvenculi oratoris quaestiunculis ad incitas redacto.

Vs. 731.

ἀλλ' ὦ πονηρὰ κόρια κἀθλίω πατρός.

Ita haec edidi proxime ad fidem Rav. κόριχ' ἀθλίου, nescius eandem rationem placuisse Ahrensio Mus. Rhen. 1843. p. 467. nisi quod recte retinuit κἀθλίου. Vulgo κόριά γ' ἀθλίου. Elmsleius κώρι' ἀθλίου. Nunc suspicor fuisse deminutivum κώριχον et scribendum esse κώριχ' ἀθλίου πατρός. Compara Ἀσώπιχος = Ἀσωπός, Ἰσμήνιχος = Ἰσμηνίας et multa id genus alia; sic etiam κώριχον = κώριον = κόριον. Neque hoc paronymorum genus solis propriorum nominum finibus inclusum fuisse docere potest vel Theocriteum ὅσσιχόν ἐστι τὸ τύμμα.

Vs. 740.

περίθεσθε τάσδε τὰς ὁπλὰς τῶν χοιρίων.

Articulo offensus Hamakerus corrigit τὼς χοιρία, quod etsi non damno, tamen si quid mutandum est, nescio ac lenius corrigatur τῶν χοιρίνων, ex earum genere quas porci habent. Praeterea male me habet quod puellae ungulas περιθέσθαι iubentur, quas si tanquam calceos induendas esse dicere voluit, ὑποδεῖσθε dicere debuit. Sed fateor totum illud de ungulis sive induendis sive circumponendis mihi ineptissime excogitatum videri; ea tam exigua pars est totius μετασκευασίας ut ne cerni quidem oculis empturientium potuerit, praesertim cum puellae istae, antequam veneant, saccum subire iubeantur. Id qui sensisse videtur Nauckius, σπολὰς pro ὁπλὰς corrigi voluit, cui quod opponit Alb. Müllerus, Aeolicum esse σπολά, non Megaricum, non magni momenti est, alioqui possis etiam τὰς στολὰς conicere. Dicit autem pelles porcellinas.

Vs. 761.

Δ. οὐδὲ σκόροδα; Μ. ποῖα σκόροδ'; ὑμὲς τῶν ἀεί,
ὅκκ' ἐσβάλητε, τὼς ἀρωραῖοι μύες
πάσσακι τὰς ἄγλιθας ἐξορύσσετε.

Non sine offensione est, quod Megarensis homo Athenienses *τὰς ἄγλιθας τῶν σκορόδων* effodere dicit. Non adeo diligentes et anxii erant Athenienses in subitaneis illis in Megarensium agros incursionibus, ut capita alliorum effoderent, allia ipsa relinquerent. Quare scribendum puto *ποῖα σκόροδ' ἀμές; τῶν ἀεὶ — τὰς ἄγλιθας ἐξορύσσετε,* ut *τῶν* iam non amplius ad *σκόροδα* sed ad *ἀμές* referatur, *quorum allia effodere soletis;* nimirum *ἄγλιθες* per se de alliis dici constat.

Vs. 775.

ἐμά γα· τὺ δέ νιν ἤμεναι τίνος δοκεῖς;

Suspecta videri potest infinitivi forma trisyllaba, certe *ἦμεν* (*εἶμεν*) dixit Boeotus vs. 741. et 771. At si quid mutandum est, neque cum Ahrensio Dial. dor. p. 316. *ἦμεν αὖ* corrigam, neque quod Hamakerus suasit *ἦμεν οὔτινος ἐδόκεις.* Magis placeret *ἦμεν ἐκ τίνος.*

Vs. 791.

αἰ δ' ἂν παχυνθῇ κἀναχνοανθῇ τριχί.

De hoc versu quae olim scripsi nunc reicio, non tantum eam ob causam, quam novissimus editor Adolphus Müllerus indicavit, sed quod *ὕστριξ* nunquam de seta porcina dictum reperitur. In Platonis comici loco Fragm. Com. graec. vol. II. p. 624. *οὐδὲν ἀφ' ὑὸς γίγνεται | πλὴν ὕστριχες καὶ πηλὸς ἡμῖν καὶ βοή,* pro *ὕστριχες* aut *ὑστριχίδες,* aut quod C. B. Haase voluit, *ὑστριχίς,* flagellum ex setis porcinis confectum, scribendum est. Revocanda igitur in Aristophanis versu librorum scriptura, nisi quod Bothio praeeunte *κἀναχνοιανθῇ* reponendum est. In ipso versus initio pro *αἰ δ' ἂν* Rav. habet *ἀλλ' ἄν.* Particula *ἄν* frequens est in pseudepigraphis doricorum philosophorum reliquiis apud Stobaeum. Eandem etiam in recentioribus titulis doricis reperias, Aristophanis temporibus an usitata

fuerit vehementer dubito; itaque scribendum videtur αἱ δ' αὖ παχυνθῇ vel quod Ahrensius voluit ἀλλ' αἱ παχυνθῇ.

Vs. 793. ἀλλ' οὐχὶ χοῖρος τἀφροδίτᾳ θύεται. Codd. fere habent χ. τῇ ἀφροδίτᾳ, unde ediderunt χ. τἀφροδίτᾳ. At articulo nullum hic locum esse ostendunt vs. 790. κάλλιστος ἔσται χοῖρος Ἀφροδίτᾳ θύεν, et vs. 794. οὐ χοῖρος Ἀφροδίτᾳ. Eam ab causam scripsi χοῖρός τἀφροδίτᾳ i. e. χοῖρός τοι Ἀφροδίτῃ, aber Schweine werden doch der Aphrodite nicht geopfert.

Vs. 835.

παίειν ἐφ' ἁλὶ τὰν μᾶδδαν, αἴκα τις διδῷ.

Pro παίειν Hamakerus requirit doricam formam παῖεν, quare corrigit παῖεν ἐφ' ἁλέσι. Voluit fortasse ἁλάσι. De παῖεν fere assentior, pro ἁλὶ τὰν autem fortasse ἅλατι dixit homo Megarensis, quae vulgaris forma est et ab Atticorum usu aliena, sed quam recte apud Theocritum XV, 17, agnovisse videtur Schaeferus. De Choerobosci loco ubi τὸ ἅλας e Lycone Troadensi affertur, dixi ad Stephanum Byz. p. 721.

His scriptis alia subit animum dubitatio de praepositione ἐπί, quam ferrem si hic legeretur παίειν ἅλα ἐπὶ τῇ μάζῃ. Maza cibus est, sal obsonium quo maza conditur, quod simul cum maza estur. Cf. Pac. 123. κολλύραν μεγάλην καὶ κόνδυλον ὄψον ἐπ' αὐτῇ, ubi placenta cibus est, cui alapa pro obsonio additur. Itaque nisi quis docere sustineat, mazam obsonii loco sali superadditam fuisse, non credam recte dictum esse quod in libris legitur. Conieci igitur παίειν ἐφαλίσταν μᾶζαν, i. e. *mazam sale conditam.* Similiter ἐφάλμια βρώματα dicuntur *cibi muria conditi.*

Vs. 848.

οὐδ' ἐντυχὼν ἐν τἀγορᾷ πρόσεισί σοι βαδίζων
Κρατῖνος ἀεὶ κεκαρμένος μοιχὸν μιᾷ μαχαίρᾳ.

Pro βαδίζων requiro aliquid significantius. Cf. 842. et 844. Quare scribendum suspicor κακίζων. Versu altero,

ubi pro *ἀεὶ* Elmslei coniecturam *αὖ* recepi, praefero nunc Reisigii emendationem *ἀποκεκαρμένος*.

Quod statim sequitur apud Aristophanem carmen chori, de eo infelices coniecturas profudit Hamakerus, velut quod versum 836 non sine metrico vitio ita scribi voluit:

εὐδαιμονεῖς ἄνθρωπε· τίς οὐκ ἤκουσ᾽ ὅποι προβαίνει;

Sanissima huius versus ut in codd. legitur scriptura est:

εὐδαιμονεῖ γ᾽ ἅνθρωπος· οὐκ ἤκουσας οἷ προβαίνει;

in quo si quid novandum est, pro *ἤκουσας* scripserim *ἠκούσαθ᾽*, ut Blaydesius voluit, non tamen ut spectatores compellari existimem. Apertum est totum carmen non a toto simul choro recitari, sed singula quattuor cola cani ab aliis. Hinc etiam nihil miri habet, quod in primo colo poeta de Dicaeopolide tertia persona usus est.

Nec maior necessitas est vs. 838. scribendi *οὖν τἀγορᾷ*.*) Aliquanto iustiorem dubitandi causam praebent quae vs. 854. leguntur:

οὐδ᾽ αὖθις αὖ σε σκώψεται Παύσων ὁ παμπόνηρος
Λυσίστρατός τ᾽ ἐν τἀγορᾷ,

ubi aut *σκώψονται* aut *οὐδὲ Λυσίστρατος ἐν τἀγορᾷ* dicendum fuisse Hamakerus affirmat. Itaque pro *Παύσων* corrigit *παρὼν* et altero versu *Λυσίστρατος ἔτ᾽ ἐν τἀγορᾷ*. Non quaerere nunc vacat num Attici nunquam ita locuti sint, at seriores scriptores non raro, e. c. Callimachus h. Dian. 221. *οὐδὲ μὲν Ὑλαῖον τε καὶ ἄφρονα Ῥοῖκον ἔολπα.* Nec bene coeunt in eadem sententia *αὖθις αὖ* et *ἔτι*.

Vs. 867.

νεὶ τὸν Ἰόλαον ἐπεχαρίξα μῶ ξένε.

In codicibus fere haec ita scribuntur *ἐπιχαρίτως γ᾽ ὦ*, in Rav. autem *ἐπιχαρίττω γ᾽ ὦ*, unde Elmsleius fecit *ἐπιχαρίττως γ᾽ ὦ ξένε*. Mihi verbum finitum potius quam

---

*) Quae ad h. l. tractat Hamakerus verba Pollucis I, 50. *ἔμποροι καὶ κάπηλοι καὶ μεταβολεῖς οἱ ὀρθοί τι πράττοντες, οἱ δὲ καθήμενοι βάναυσοι*, in iis pro *τι πράττοντες* non *ἀγοράζοντες* scribendum est, sed *πιπράσκοντες*.

adverbium requiri videbatur, *per Iolaum egregie mihi gratificatus es.* Nunc in Elmsleii sententia acquiesco.

Vs. 920.

ἐνθεὶς ἂν ἐς τίφην ἀνὴρ Βοιώτιος.

Ne minimam quidem probabilitatis speciem habet Hamakeri opinio pro *τίφην* hoc loco *σκάφην* et 925. *σκάφης* pro *τίφης* coniectantis. Neque causam video cur fides denegetur Suidae testimonio iam ab Elmsleio allato *Σίλφη· ὄνομα ζωυφίου. καὶ σίλφας λέγουσιν εἴδη ἀκατίων.* Constat *σίλφη* et *τίφη* varias eiusdem nominis formas esse. Nomen autem illud navigii genus a formae similitudine cum animalculo illo traxit; similiterque, ut alia omittam, *κάνθαρος* scaphae genus appellabatur ob formae similitudinem cum scarabaeo. Sequuntur 923. haec:

κεἴπερ λάβοιτο τῶν νεῶν τὸ πῦρ ἅπαξ,
σελαγοῖντ᾽ ἂν εὐθύς. ΔΙΚ. ὦ κάκιστ᾽ ἀπολούμενε,
σελαγοῖντ᾽ ἂν ὑπὸ τίφης τε καὶ θρυαλλίδος;

Ita haec cum aliis edidi ad mentem Piersoni. Sed pro *εὐθὺς* codd. fere *αἱ νηῦς* habent, Rav. autem *αἱ νῆες*, *Γ. αἱ νῆς*, cuius formae etsi nullum exemplum est, fortasse tamen ita scribendum, sed ut oratio paulo aliter distinguatur: *σελαγοῖντ᾽ ἄν. ΔΙΚ. αἱ νῆς, ὦ κάκιστ᾽ ἀπολούμενε, σελαγοῖντ᾽ ἂν — θρυαλλίδος;* Sed potest etiam Rav. scriptura probari, si locus ita scribitur:

σελαγοῖντ᾽ ἂν αἱ νῆες κάκιστ᾽ ἀπολούμεναι.
ΔΙΚ. σελαγοῖντ᾽ ἂν ὑπὸ τίφης τε καὶ θρυαλλίδος;

i. e. *collucerent flammis pessime periturae.* Dubia item scriptura vs. 927.

δός μοι φορυτόν, ἵν᾽ αὐτὸν ἐνδήσας φέρω.

Neque ita haec ab Aristophane scribi potuerunt, neque ut voluit Dindorfius *ἐνδήσω φέρων*, vel ut Bergkius voluit *ἐνδήσας φέρῃς*. Nicarchum neque Dicaeopolis ablaturus est, neque Boeotus illigaturus; illigatur a Dicaeopolide, aufertur a Boeoto. Scribendum igitur ut voluit Elmsleius *αὐτὸν ἐνδήσω φέρειν*, aut ut ipse conieci *ἐνδήσω· φέρε.*

Vs. 936.

τριπτὴρ δικῶν,
φαίνειν ὑπευθύνους λυχνοῦ-
χος, καὶ κύλιξ
τὰ πράγματ' ἐγκυκᾶσθαι.

His non respondent versus antithetici, quos ut exaequarent critici, in antisystemate vs. 949. verba τοῦτον λαβὼν expulerunt; at vitium potius in systemate quaerendum esse, docet Rav. scriptura, qui non τὰ πράγματ' habet sed καὶ πράγματ'. Itaque post κύλιξ excidit aliquid, e. c. λυχνοῦ-
χος, καὶ κύλιξ [ἅπαντα κακά]
καὶ πράγματ' ἐγκυκᾶσθαι.

Vs. 948. me invito irrepsit error typographicus; volebam
ἀλλ' ὦ ξένων βέλτιστε νῦν
θέριζε καὶ τοῦτον λαβών.

Vulgo pro νῦν θέριζε sine sensu legitur συνθέριζε, quod aut νῦν θέριζε scribendum est aut σύ γε θέριζε.

Vs. 988.

. . . . ταί τ' ἐπὶ τὸ δεῖπνον ἅμα καὶ μεγάλα δὴ φρονεῖ·

In superioribus chorus de belli furore conquestus verbis supra scriptis ad Dicaeopolin transit genio indulgentem et omnium rerum abundantia affluentem. Scripturam exhibui Rav. nisi quod is Bĕkkero teste τάι habet pro ταί, in quo verbi vestigia superesse et res ipsa docet, et indicat scholiasta Rav. ἐπείγει, σπεύδει, item alius ὁ δὲ λόγος, Δικαιόπολις σπουδάζει περὶ τὸ δεῖπνον. Desunt autem docente versu strophico duo cretici. Quare admodum verisimile est scripsisse poetam:

[οὑτοσὶ δ' ἐπτόη]ταί τ' ἐπὶ τὸ δεῖπνον ἅμα
καὶ μεγάλα δὴ φρονεῖ.

Verbis ἐπτοῆσθαι ἐπὶ vel περὶ τὸ δεῖπνον percommode indicari id quod h. l. requiritur, multis constat exemplis apud H. Stephanum Thes. VI. p. 2186. Aliter Bergkius locum supplevit [εἶδες ὦ τόνδ'; ἐπείγει] περὶ τὸ δεῖπνον,

aliter item Hoffmannus Jahrbücher für class. Philol. 1863. p. 239. [ἀλλ' ὅδ' οὖν πᾶς ἀνεῖ]ταί τ' ἐπὶ τὸ δεῖπνον.

Recentissima aetate Henricus van Herwerden Novis Add. crit. ad Fragm. Com. graec. p. 33. indicavit Aristophanis locum in Rav. sic scriptum legi ἐπτέρωταί τ' ἐπὶ τὸ δεῖπνον, quod sane mirum est Bekkeri oculos fugisse.

Vs. 1035.

οὐδ' ἂν στριβιλικίγξ· ἀλλ' ἀπιὼν οἴμωζέ ποι.

Non credo hoc sanum esse. Requiro substantivum pro adverbio, quo in tali oratione in nulla lingua uti licet; ac ne οὐδὲ γρῦ obvertas, hoc quoque substantivum est. Credo igitur στριβιλίκιγξ substantivum esse et guttulam denotare. Itaque στριβιλίκιγγ' reponendum suspicor.

Vs. 1064.

οἶσθ' ὡς ποιεῖτε τοῦτο; τῇ νύμφῃ φράσον,
ὅταν στρατιώτας καταλέγωσι, τουτῳί
νύκτωρ ἀλειφέτω τὸ πέος τοῦ νυμφίου.

Ita ex Rav. scripserunt critici pro ποιεῖται. Usum unguenti, quod Dicaeopolis infuderat, pronubae indicaturus non potuit quaerere ex ea οἶσθ' ὡς ποιεῖτε τοῦτο; *nostine quo pacto haec facitis?* quae balbutientis est oratio; debebat οἶσθ' ὡς χρήσεσθε τούτῳ vel simili modo. Praeterea vix graece dictum est τῇ νύμφῃ φράσον — ἀλειφέτω, pro ἀλείφειν, in quo haesit etiam Blaydesius. Has ob causas eo adductus sum ut totum versum eliminarem, ab interpolatore eo consilio factum, ut qui ipsi deesse videretur, sequentium cum antecedentibus nexum quocunque modo restitueret. Eamque sententiam etiam nunc teneo, sed ut secundo versu χὤταν scribendum existimem.

Vs. 1084.

αἰαῖ, τίνα δ' αὖ μοι προστρέχει τις ἀγγελῶν;

Haec Dicaeopolidis verba sunt ridentis Lamachum qui questus erat αἰαῖ, οἵαν ὁ κῆρυξ ἀγγελίαν ἤγγειλέ μοι.

Suspicor Aristophanem haec ita conformasse, ut Lamachus dicat:

αἰαῖ, οἵαν τίν' ὁ κῆρυξ ἀγγελίαν ἤγγειλέ μοι,

Dicaeopolis autem:

αἰαῖ, οἵαν τινὰ δ' αὖ μοι προστρέχει τις ἀγγελῶν,

interiectione *αἰαῖ* in utriusque oratione extra versum posita.

Vs. 1093.

ὀρχηστρίδες, τὰ φίλταθ' Ἁρμοδίου, καλαί.

Enumerat praeco quidquid rerum ad convivium rite apparandum necessarium existimatur, earumque rerum recensui illo quem adscripsi versu finem imponit. Apparet autem *καλαί* non recte a substantivo suo disiunctum esse, neque quis verborum *τὰ φίλταθ' Ἁρμοδίου* sensus esse possit, ullo modo intelligitur. Scribendum suspicor:

ὀρχηστρίδες, τὰ φίλταθ' Ἁρμόδι'· οὐ καλά; *)

ut sensus sit, *saltatrices, scolii cantus; nonne haec pulcra sunt?*

Vs. 1143.

ἴτε δὴ χαίροντες ἐπὶ στρατιάν.
ὡς ἀνομοίαν ἔρχεσθον ὁδόν.
τῷ μὲν πίνειν στεφανωσαμένῳ,
σοὶ δὲ ῥιγῶν καὶ προφυλάττειν,
τῷ δὲ καθεύδειν
μετὰ παιδίσκης ὡραιοτάτης
ἀνατριβομένῳ γε τὸ δεῖνα.

Versu primo mirum videri potest illud *ἐπὶ στρατιάν,* quum Lamachus, non autem alter etiam in bellum profecturus sit, quae res non ita expediri potest, ut *στρατιά* de Dicaeopolide dictum figurato sensu intelligatur. Versus iste sine dubio ex Euripide assumtus et, ut fieri solet in parodiarum lusu, dissimili rerum statui accommodatus est. In reliquis nunc revocavi vulgarem versuum ordinem, quem bene tuetur Elmsleius. Unde vero

*) Eandem emendationem proposuit Adolphus de Velsen Mus. Rhen. vol. XVIII. p. 129.

pendere dicamus dativos *τῷ μέν, σοὶ δέ, τῷ δέ?* Supplendum esse dicunt *ἰτητέον* vel *γενήσεται,* quod quo iure fieri possit non docuerunt. Itaque aliquid intercidisse suspicor, e. c. *τῷ μὲν πίνειν [παίζειν τ' ἔσται] στεφανωσαμένῳ,* in quibus quam proclivi errore inter *πίνειν* et *στεφανωσαμένῳ* verba *παίζειν τ' ἔσται* perire potuerint, sua sponte intelligitur. *παίζειν καὶ πίνειν* coniunxit etiam Ion Chius apud Athenaeum XIII. p. 604. d. Versu postremo recte Reiskius *τε* scripsit. Pro *ἀνατριβομένῳ* praestat fortasse *ἅμα τριβομένῳ.* Simplici constanter in hac re uti solet Aristophanes, neque aliter Amphis Athenaei II. p. 69. c.

Vs. 1150. 1156.

Ἀντίμαχον τὸν Ψακάδος τὸν ξυγγραφῆ τῶν μελέων ποιητήν.

Meliorum librorum Rav. et Vat. scripturam, ut par erat in loco, cuius incertissima medela est, servavi intactam. Pro *τὸν ξυγγραφῆ* sive ut lemma scholii habet *τὸν συγγραφέα,* Elmsleius *τὸν μέλεον* scripsit, similiter Dobraeus *τῶν μελέων* et tum *τὸν μέλεον ποιητήν.* Ipse lusi *τὸν ξυρίαν τὸν μέλεον ποιητήν,* quo nomine appellabantur homines ad cutem rasi, quod extremae mollitiei indicium fuisse constat. Fuerit igitur hic Antimachus idem quem ut effeminatum ridet poeta Nubb. 1022. Quod enim *ξυρίας* sine ignominiae macula de persona tragica e. c. Priami dicebatur, non impedit quominus idem nomen eo quo volui sensu de *ἐξυρημένῳ* capiatur.*) Non minus incerta scriptura est eorum quae 1156 sqq. leguntur:

ὅν ἔτ' ἐπίδοιμι τευθίδος
δεόμενον, ἡ δ' ὠπτημένη
σίζουσα πάραλος ἐπὶ τραπέζης κειμένη
ὀκέλλοι.

Optime de his meritus est Hamakerus, qui quod sane

*) Nauckius Bulletin de l'Acad. de St. Pétersbourg. vol. VI. p. 66. *τὸν ξυγγραφῆ* delevit eademque opera in antistrophico versu *νυκτερινόν* expunxit, quorum neque hoc neque illud magnam veritatis speciem habet.

mirum est primus omnium viderit, absurdissime sepiam naviculae instar in coenaculum appellere dici. Corrigit igitur *σίζουσα λιπαρά τ' ἐπὶ τραπέζης κειμένη εἰσέλθοι*, in quo ita assentior viro doctissimo ut pro *πάραλος* non quidem *λιπαρός*, ut olim volui, sed cum Thierschio *παρ' ἁλός* corrigendum putem. *ΕΙΣΕΛΘΟΙ* et *ΟΚΕΛΛΟΙ* sibi sunt simillima. At quod idem v. d. *τευθίδα κατεδόμενον* scribendum dicit, inanis lusus est.

Vs. 1185.

λείπω φάος γε τοὐμόν· οὐκέτ' εἰμ' ἐγώ·

Ita codices praeter Rav. qui *γε* omittit. Ineptissime dictum est *τοὐμὸν φάος*. Scripsi igitur:

λείπω φάος τοῦτ· οὐκέτ' οὐδέν εἰμ' ἐγώ.

Quam emendationem iam olim in Annal. scient. antiqu. 1845. p. 1063. proposui, quod fugit Cobetum N. L. p. 59. Ceterum non hunc tantum versum, sed totum locum 1181 — 1188. a futili interpolatore Aristophani affictum esse verissimum est Blaydesii iudicium. Res est manifesta; pleraque ex aliis huius fabulae versibus sunt composita, res ipsa ineptissime narrata, tota rerum facies *ἀσύστατος*. Versus 1181. ineptias enucleavit nuper M. Hauptius Progr. acad. 1864. p. 8.

Vs. 1206.

ἰὴ ἰὴ χαῖρε Λαμαχίππιον.

Pro *Λαμαχίππιον* Rav. habet *Λαμαχιππίδιον*. Cum equis equitibusque nihil rei erat Lamacho, quare olim mihi *Λαμαχίσκιον* corrigendum videbatur, de quo deminutivorum genere attuli quaedam ad Lysistr. 416. Nunc nihil novandum opinor. Nimirum nomina cum *ἵππος* composita magnifice sonare videbantur Atheniensium auribus generisque nobilitati indicandae inservire, cf. Nub. 64. Hinc etiam *Κρόνιππος* nomen explicandum arbitror, quod convicii loco ponitur, quasi dicas ein hochadeliger Dummkopf. Alius generis *ἱππόπορνος* est et si quae alia huius commatis reperiuntur.

Vs. 1208.

ΛΑΜ. στυγερὸς ἐγώ. *ΔΙΚ.* τί με σὺ κυνεῖς;
ΛΑΜ. μογερὸς ἐγώ. *ΔΙΚ.* τί με σὺ δάκνεις;

Haec vulgo inverso ordine ita leguntur, ut μογερὸς ἐγὼ Dicaeopolidi, τί με σὺ κυνεῖς Lamacho tribuantur. Dubitanter correxit Bergkius, qui haec ita sine dubio intelligi voluit, ut τί με σὺ κυνεῖς et τί με σὺ δάκνεις Dicaeopolis meretricibus dicat, osculis et morsiunculis hominis os vellicantibus. Emendatio, ut mihi videtur, est certissima.

VESPAE.

Vs. 21.

Ξ. πῶς δή; Σ. προερεῖ τις τοῖσι συμπόταις λέγων,
ὅτι ταυτὸν ἐν γῇ τ' ἀπέβαλεν κἀν οὐρανῷ
κἀν τῇ θαλάττῃ θηρίον τὴν ἀσπίδα.

In his *προερεῖ* pro *προσερεῖ*, quod nullo pacto ferri potest, scribendum putavi ex V. sive id cum Cobeto *προτενεῖ* scribere sive alio modo emendare malis. Secundo versu Hirschigius et Richterus dederunt *τί ταυτὸν — τὴν ἀσπίδα;* nec impedio, si praeterea *ταυτὸν ὂν* scribas pro *ταυτόν*.

Vs. 30.

ἔδοξέ μοι περὶ πρῶτον ὕπνον ἐν τῇ πυκνὶ
ἐκκλησιάζειν πρόβατα συγκαθήμενα.

Πρῶτος ὕπνος perpetuo usu eorum dicitur qui vespera legitimo tempore obdormiverunt; at hic agi de matutino somno, docent quae de concione civium Atheniensium dicuntur, ut suspicer fere poetam scripsisse *περὶ πρῷον ὕπνον*, quo tempore quae somnia dormientibus obveniebant, eventum habere putabantur. Horatius Serm. I, 10, 32. *Quirinus post mediam noctem visus, cum somnia vera.* Moschus Id. II, 2. *ἐγγύθι δ' ἠώς — εὖτε καὶ ἀτρεκέων ποιμαίνεται ἔθνος ὀνείρων.*

Vs. 110.

ψήφων δὲ δείσας μὴ δεηθείη ποτέ,
ἵν' ἔχοι δικάζειν, αἰγιαλὸν ἔνδον τρέφει.

Vere, opinor, Lentingius *δικάζων* scribendum esse intellexit. Lepide autem *αἰγιαλὸν τρέφειν* dixit, quem-

admodum *αἶγα τρέφειν* dicitur. Simili ioco lusit Anonymus Fragm. Com. IV. p. 691. *ἀπόλλυμαι· τρέφω γὰρ ἐν ἀγρῷ χωρίον,* quod ad *χοιρίον* alludit.

Vs. 111.

ἔχων τρόπους φρυαγμοσεμνακουστίνους.

Hunc versum, qui vulgo post 135. legitur, cur huc transposuerim non obscurum videbitur reputantibus, tam inepte eum de Bdelycleone dici quam apte dicitur de Philocleone, in quem plane cadit quod illo sesquipedali verbo indicatur, esse eum hominem cum superbo fremitu audientem. Vox e *φρυαγμός σεμνός ἀκούω* et *νοῦς* composita est. Ad hoc enim ducit Rav. scriptura *φρυαγμοσεμνακους τίνους*, cui proxima est schol. et librorum quorundam lectio *ὀφρυαγμοσεμνακουστίνους*. In Ven. scriptum est *φρυαγμοσεμνα κουστίνας*, i. e. *φρυαγμοσεμνάκους τινάς*, quod apud Suidam legitur et Lobeckio Pathol. Prol. p. 315. aliisque criticis placuit, fortasse recte. Interim repraesentavi Rav. scripturam, in qua si quid mutandum est, malim utique *φρυαγμοσεμνακουστικούς* vel *—ακουσίμους*.

Vs. 118.

ὃ δ' οὐκ ἐπείθετο·
εἶτ' αὐτὸν ἀπέλου κἀκάθαιρ', ὃ δ' οὐ μάλα.

Ad postrema supplent *προσίετο* vel *ἐπείθετο* allato Thesmoph. 846. *ἰλλὸς γεγένημαι προσδοκῶν, ὃ δ' οὐδέπω,* ubi supplendum *πάρεστιν* vel *φαίνεται,* ut est Eccl. 311. *ποῖ ποθ' ἡ γυνή 'στί μοι, ἐπεὶ πρὸς ἕω νῦν γ' ἐστιν, ἣ δ' οὐ φαίνεται.* Non credo his defendi posse Vesparum locum, nisi forte imperfecta *ἀπέλου κἀκάθαιρε* de conatu intelligas. Fortasse scribendum est *εἶθ' αὑτὸν ἀπέλου,* ut filius patri lustrationes et expiationes suo ipse exemplo praeiisse dicatur. Cf. Proculum ad Platonis Cratyl. p. 106. sive apud Lobeck. Aglaoph. p. 633.

Vs. 125.

ἐντεῦθεν οὐκέτ' αὐτὸν ἐξεφρίομεν.

Virorum doctorum de mirabili *ἐξεφρίομεν* vel *ἐξεφρείομεν* coniecturas in critica annotatione attuli, ipse *ἐξέφρει μόνον* conieci; atque *ἐξέφρει* postea voluit etiam Cobetus Mnem. XI. p. 444. pro *μόνον* lacunae signa ponens. Verum enim vero scribendum est haud dubie *ἐξεφρίεμεν*, ut pulchre vidit Nauckius, cuius uberrimam de hoc verbo dissertationem vide in Bulletin de l'Acad. de Pétersb. Tom. VI. p. 424—445.

Vs. 240.

ἀλλ' ἐγκονῶμεν ὦνδρες, ὡς ἔσται Λάχητι νυνί.

Ad *ἔσται* supplent *δίκη*, quod quo iure fieri possit quum nemo docuerit, locum corruptum puto scribendumque arbitror *ὡς ἔσται κακῶς Λάχητι* vel *ὡς ἔσται δίκη Λάχητι*. In quibus quum *κακῶς* vel *δίκη* excidisset, corrector *νυνὶ* versus complendi causa supplevit.

Vs. 242.

χθὲς οὖν Κλέων ὁ κηδεμὼν ἡμῖν ἐφεῖτ' ἐν ὥρᾳ ἥκειν.

Vereor ne haec interpolata sint a grammaticis, quis ille *κηδεμὼν* esset docere volentibus, Aristophanes autem scripserit *ἐχθὲς μὲν οὖν ὁ κηδεμών*. Adde quod Aristophanes in iambicis numeris non usus esse videtur monosyllaba forma *χθές*, cui legi quae adversantur exempla Plut. 344. *ἄμεινον ἢ χθές*, Vesp. 500. *κἀμέ γ' ἡ πόρνη χθές*, Eccles. 562. *φράσαντά σοι χθὲς*, coronide appicta ad reliquorum locorum normam revocari possunt. Consulto omisi Lysistr. 725. *ἐς Ὀρσιλόχου χθές*, de quo suo loco dixi, et 745. ubi *σ' ἐχθὲς* habent omnes praeter Rav.

Vs. 258.

ἦ μὴν ἐγώ σου χἀτέρους μείζονας κολάζω.

Hic versus suo loco motus et post 255. transponendus videtur, ut interrrumpat orationem puerorum, qui incurii senilis admonitionis pergunt *κἄπειτ' ἴσως* etc. Post 259.

in quo *τοι* pro *μοι* scribendum suspicor, fortasse unius versus lacuna indicanda est, nisi sufficit corrigere *οὐκ ἔσθ' ὅπως δ' οὐχ ἡμερῶν.*

Vs. 334.

τίς γάρ ἐσθ' ὁ ταῦτά σ' εἴργων
κἀποκλῄων τῇ θύρᾳ;

Comprecatus erat a Iove Philocleo, ut se aut fulmine sterneret aut in lapidem mutaret, ad quae non intelligere me fateor quo pacto a choro ea responderi possint, quae supra adscripsi. Quare corrigendum putavi *τίς γάρ ἐσθ' οὑνταῦθά σ' εἴργων.*

Vs. 365.

ἀλλὰ καὶ νῦν ἐκπόριζε
μηχανὴν ὅπως τάχιστα.

Non praefracte negaverim ita non scripsisse poetam, verum tamen quum Philocleo choro doli, quo olim in Naxi obsidione se surripuerit, memoriam revocanti respondisset, longe aliam tum fuisse rerum conditionem, apertum esse opinor, chorum melius esse responsurum *age igitur, novum excogita dolum, ἀλλὰ καινὴν ἐκπόριζε μηχανήν.* Nihil autem harum vocularum permutatione frequentius.

Vs. 471.

ἔσθ' ὅπως ἄνευ μάχης καὶ τῆς κατοξείας βοῆς
ἐς λόγους ἔλθοιμεν ἀλλήλοισι καὶ διαλλαγάς;

Ita ex V. editum est, ut coniecerat Elmsleius ad Med. 102. Vulgo *ἔλθωμεν,* quod aperte vitiosum est neque nuper revocari debebat. At optativus particula *ἂν* carere non potest, nec quod Euripidi licuit, ut Alcest. 52. diceret *ἔστ' οὖν ὅπως Ἄλκηστις ἐς γῆρας μόλοι,* licuit etiam Aristophani. Recte hoc sensit Hermannus, qui primum versum sic scribi voluit *ἄνευ μάχης ἂν καὶ κατοξείας βοῆς.* Scribendum erat:

ἔσθ' ὅπως ἂν ἐκ μάχης καὶ τῆς κατοξείας βοῆς,

post rixam illumque insanum clamorem, quo totum thea-

trum personuerat. Iam illud etiam intelligitur, recte legi articulum *τῆς βοῆς*, qui Elmsleio adeo offensioni fuerat, ut *ἄνευ μάχης τε καὶ κατοξείας βοῆς* reponendum censeret.

Vs. 539.

τί γὰρ φάθ' ὑμεῖς, ἢν ὁδί με τῷ λόγῳ κρατήσῃ;

Non quid chorus dicat, sed quid dicturus sit, quaerere potuit Bdelycleo. Eam ob causam *φάθ'* commatibus includendum puto, ut verborum *τί ὑμεῖς* sensus sit *quid de vobis futurum est.* Atque hoc verum esse, docent ea quae chorus respondet, in quibus *ἔστ'* pro futuro est.

Vs. 542.

σκωπτόμενοι δ' ἂν παισὶν ἐν
ταῖσιν ὁδοῖς ἁπάσαις
θαλλοφόροι καλοίμεθα.

Sic haec corrigenda putavi, indicata in versibus antistrophicis lacuna. Rav. *σκωπτόμενοι δ' ἂν ἐν ταῖσιν ὁδοῖς ἁπάσαις*, V. *σκωπτόμενοι δ' ἂν ἐν ταῖσι ὁδοῖσιν.* Quae quum alii aliter emendare conati sint, mihi commodissimum visum est inserere, quod facillime excidere potuit, *παισίν.*

Vs. 555.

ἐμβάλλει μοι τὴν χεῖρ' ἁπαλὴν τῶν δημοσίων κεκλοφυῖαν.

Desidero subiectum ad *ἐμβάλλει* neque articulum habeo quo pacto commode interpreter. Itaque *τις* scribendum putavi; fortasse tamen recte Reiskius *τὴν χεῖρα Πάχης* vel simile nomen reponendum coniecit. Adnotatio ad h. l. sic scribenda est: *τις*: vulgo *τήν*.

Vs. 565. nunc repudio Hermanni coniecturam *ἀνιῶν* scribendumque puto *κακὰ πρὸς τοῖς οὖσι κακοῖσιν ἕως ἂν ἰσώσῃ τοῖσιν ἐμοῖσιν.* Quod solus V. habet *ἀνιῶ*, ex sequentibus literis natum videtur.

Vs. 570. recte Dindorfius ex R. A. revocavit aoristum *συγκύψαντα.*

Vs. 572.

εἰ μὲν χαίρεις ἀρνὸς φωνῇ, παιδὸς φωνὴν ἐλεήσαις,
εἰ δ' αὖ τοῖς χοιριδίοις χαίρω, θυγατρὸς φωνῇ με πιθέσθαι.

Haec corrupta esse praeter constructionis inconcinnitatem inusitata veteribus Atticis optativi forma *ἐλεήσαις* docet; credo nunc verum vidisse Hirschigium *χαίρω τἀρνὸς* (vel *χαίρω γ' ἀρνὸς*) corrigentem et pro *ἐλεήσαις* reponentem *μ' ἐλεῆσαι.* Pro *χοιριδίοις* Rav. habet *χοιρίοις*, i. e. ut opinor *χοιρείοις*, *carnibus suillis*, quod ambiguo sensu dictum est, meliusque respondet versui primo, in quo *κωλῇ* pro *φωνῇ* scribendum esse intellexit Richterus.

Vs. 599.

ἀλλὰ Θέωρος, καίτουστὶν ἀνὴρ Εὐφημίου οὐδὲν ἐλάττων.

Εὐφήμιος vehementer dubito num antiqua et attica huius nominis forma sit, qui *Εὔφημος* dicebant, ut *Εὔδημος*, *Εὔαγρος*, *Εὔαθλος*, *Εὔαιφνος*, *Εὔαλκος*, *Εὔανδρος* etc. Quadrisyllaba horum nominum forma serioribus, Byzantinis maxime, usitata est, ex quo genere habes *Εὐάγριος*, *Εὐάνδριος*, *Ἐπιγόνιος* (Ammianus Marc. XIV, 7.), *Εὐπράξιος* (ib. XXVIII, 1.), *Εὐόδιος*, *Εὐγένιος*, *Εὐθήριος*, *Εὐδόξιος*, *Εὐθάλιος*, *Εὐθύμιος*, *Εὐνόμιος*, *Εὐπείθιος*, *Εὐσέβιος*, *Εὐστάθιος*, *Εὐτόλμιος*, *Εὐτρόπιος* etc., quae omnia quum ab antiquo usu prorsus abhorreant, non dubitavi rescribere *Εὐφημίδου*.

Vs. 671.

δώσετε τὸν φόρον, ἢ βροντήσας τὴν πόλιν ὑμῶν ἀνατρέψω.

Inusitatum dicendi genus est *δοῦναι τὸν φόρον* de tributo Atheniensibus pendendo, itaque non dubitavi rescribere *οἴσετε τὸν φόρον*. Nec negari potest imperativum ad sententiam loci multo aptiorem esse quam futurum.

Vs. 687.

ὡδὶ διαβάς, διακινηθεὶς τῷ σώματι καὶ τρυφερανθείς.

Nescio quid hoc sit opprobrii *διακινεῖσθαι τῷ σώματι*, *commoveri corpore*, quod recte dicitur de saltantibus, vix autem de molli corporis motu dici potuit; ferrem recteque dictum esse faterer, si additum esset *ἁβρῶς* vel *τρυφερῶς* vel simile quid. Quare corruptum esse locum credo poetamque scripsisse conicio:

ὡδὶ διαβάς, καὶ διακναισθεὶς τῷ σώματι καὶ τρυφερανθείς.

Particulam *καὶ* ante *διὰ* quam proclivi errore exciderit, plurimis constat exemplis.

Vs. 725.

ἦ που σοφὸς ἦν ὅστις ἔφασκεν, πρὶν ἂν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς,
οὐκ ἂν δικάσαις.

Scribendum esse dixi *οὐ μὴ δικάσεις*, cuius iudicii hanc causam habui, quod *οὐκ ἂν δικάσαις* non tam prohibentis est quam quid fieri soleat dicentis. Licebit quidem *οὐκ ἂν δικάσαις* interpretari *non possis iudicare*, ut fecit Hermannus Opusc. IV. p. 369; non favet tamen huic explicationi notissimus quem poeta ob oculos habuit incerti auctoris versus a scholiasta laudatus *μηδὲ δίκην δικάσῃς, πρὶν ἂν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.* Adde quod optativi formam in *αις* non novit antiqua atthis.

Vs. 766.

Φ. περὶ τοῦ; τί ληρεῖς; ΒΔ. ταῦθ' ἅπερ ἐκεῖ πράττεται.

Non intelligitur unde *ταῦτα* pendeat. Certa, ut mihi videtur, coniectura scripsi *πρᾶτθ' ἅπερ ἐκεῖ πράττεται;* neque offensionem habet *ἅπερ* cum ictu in ultima syllaba, quamquam hunc facile evitare potuisset poeta scribendo *πρᾶτθ' ἃ κἀκεῖ πράττεται.*

Vs. 771.

καὶ ταῦτα μὲν νῦν εὐλόγως, ἢν ἐξέχῃ
εἵλη κατ᾽ ὄρθρον, ἡλιάσει πρὸς ἥλιον.

Magnae mihi semper offensioni fuit, quod matutinum solis calorem *ἐξέχειν* dici videbam; hinc conieci in annotatione critica *ἢν ἐξέγρῃ εἵλης κατ᾽ ὄρθρον*, *si expergefactus fueris ubi solis calor matutino tempore occoepit*, ut *εἵλης* dictum sit ut *νυκτός, ἡμέρας, αἰθρίας, πνίγους*, alia. Et *ἐξέγρῃ* etiam Reiskius coniecit, sed male pro *εἵλη* scripsit *εὐνῆς*. Ceterum *εἵλη* ponas an *ἕλη*, quod ego cum V. scripsi, perinde est. In sequentibus verum vidit Richterus, *εἴσει* non ad *οἶδα* sed ad *εἴσειμι* referens, *cum pluit introibis*; post *καθήμενος* incidendum est.

Vs. 967.

ὦ δαιμόνι᾽ ἐλέει τοὺς ταλαιπωρουμένους.

Frustra huius versus numeros tuentur viri docti, *ἐλέει* disyllabum esse statuentes. Verum vidisse opinor Bentleium *ὦ δαῖμον* poetam scripsisse conicientem. Alloquitur autem Lycum heroem, cuius imagunculam in scenam allatam esse ex vs. 819. intelligitur.

Vs. 1064.

οἴχεται, κύκνου τε πολιώτεραι δὴ
αἵδ᾽ ἐπανθοῦσιν τρίχες.

Pro *πολιώτεραι* Rav. et *Γ*. habent *πολιώτερα*. Particulam *δὴ* recte inutilem dicit Dindorfius; pro ea *δῆτ᾽* metri causa posuit Bergkius. Conicere possis *κύκνου τε πολιώτερ᾽ αἵδε | τῇδ᾽ ἐπανθοῦσιν τρίχες*, ut *πολιώτερα* tanquam adverbii loco positum sit, *τῇδε* autem *δεικτικῶς* accipiatur pro *τῇδε τῇ κεφαλῇ*, qui usus Aristophani est frequentissimus. Sed ipse video haec omnia incerta reddere potiorum librorum scripturam *οἴδ᾽ ἐπανθοῦσι τρίχας*, in qua quid lateat alii fortasse elicient. Nec minus incerta est sequentium scriptura *τῶνδε ῥώμην νεανικὴν σχεῖν*, in quibus Dindorfii crisi *νανικὴν* scribentis nihil proficitur, nisi verba *τῶνδε ῥώμην* emendentur, in

quibus brevis syllaba ante ῥώμην constanti usu producitur.

Vs. 1069. pro νεανιῶν, quod sane τρισυλλάβως dici non potest, Κλεινιῶν suspicatus sum, Alcibiadis fratrem intelligens, de quo vide Platonem Prot. p. 320. et Alcib. I. p. 118. b. ubi μαινόμενος homo appellatur.

Vs. 1109.

οἱ δ᾽ ἐν ᾠδείῳ δικάζουσ᾽, οἱ δὲ πρὸς τοῖς τειχίοις
ξυμβεβυσμένοι πυκνὸν νεύοντες ἐς τὴν γῆν —

Non credo me iusto audacius egisse, qui pro πυκνόν, quod cum νεύοντες vix recte coniungitur, ad ξυμβεβυσμένοι autem relatum moleste abundat, πυκνὸς rescripserim. Pnycis moenia dicit, quae commemorat in Eccles. 497.

Vs. 1114. in verbis ἀλλὰ γὰρ κηφῆνες ἡμῶν εἰσὶν ἐγκαθήμενοι τὸν πόνον κατεσθίουσιν turbatam structuram emendavi scribendo οἱ καθήμενοι, nisi malis οὑγκαθήμενοι, i. e. οἱ ἐγκαθήμενοι, eodem sensu, *intus desidentes*; ἡμῶν, quod Dindorfius ἡμῖν scripsit, a τὸν πόνον pendet.

Vs. 1158.

τασδὶ δ᾽ ἀνύσας ὑποδοῦ τι τὰς λακωνικάς.

Sic haec emendavi, vulgo ὑπόδυθι τὰς λακωνικάς. Praeivit Hirschigius, nisi quod audacius edidit ὑποδοῦ λαβὼν λακωνικάς. τι cum ἀνύσας coniungendum. Cf. Pac. 872. ἀνύσαντε τῇ βουλῇ τι.

Vs. 1161. nunc Brunckium recte credo scripsisse ἔνθες πόδ᾽.

Vs. 1172.

ὅτῳ; δοθιῆνι σκόροδον ἠμφιεσμένῳ.

Haec respondet Bdelycleo Philocleoni, cuinam ex opulentis incessu similis sit quaerenti; ex quo intelligitur, ineptissime Philocleonem comparari furunculo, cui allium pro emplastro impositum sit. Non dubitari posse videtur, Dothienem sive verum fuisse sive fictum nomen hominis molliculi et qui tunica amiciretur laxa et quae tanquam allii cortex corpus ambiret. Eadem similitudine iam

usus est Homerus Od. τ'. 231. τὸν δὲ χιτῶν' ἐνόησα περὶ χροὶ σιγαλοέντα, οἷόν τε κρομύοιο λοπὸν κάτα ἰσχαλέοιο. Quo respexit Theopompus Fragm. Com. gr. vol. II. p. 806. χιτῶνά μοι | φέρων δέδωκας δαιδάλεον, ὃν ἤκασεν | ἄρισθ' Ὅμηρος κρομμύου λεπυχάνῳ. Plane autem quod de Δοθιήν hominis nomine dixi sequens versus confirmat καὶ μὴν προθυμοῦμαί γε σαυλοπρωκτιᾶν.

Vs. 1182.

ἐκεῖνον ὡς 'οὕτω ποτ' ἦν μῦς καὶ γαλῆ.'

Sic enim haec distinguenda erant, ut οὕτω in initio fabulae de mure et mustela narrandae poneretur. V. ad Fragm. Com. III. p. 82.

Vs. 1222.

τούτοις ξυνὼν τὰ σκόλι' ὅπως δέξει. Φ. καλῶς.
ΒΔ. ἄληθες; Φ. ὡς οὐδεὶς Διακρίων δέξεται.

Ita haec distinxi praeeunte Bergkio qui καλῶς separavit a praecedentibus et Philocleoni tribuit; praeterea pro vulgato τὰ σκόλι' ὅπως δέξει scripsi τὰ σκόλια πῶς δέξει; ad quae quum respondisset Philocleo καλῶς, Bdelycleo infert ἄληθες; *itane vero?* Nunc nescio an vulgaris distinctio et scriptura revocanda sit, sed sic ut totus versus 1223 uni tribuatur Philocleoni. Eodem versu male omnes Διακρίων in vulgata scriptura de Diacriis Atticis accipiunt, quasi hi scoliorum cantandorum prae ceteris periti fuerint. Non dubitari potest quin recte scripserim οὐδ' εἰ Διακρίων, quod hominis nomen fuit scite scolia cantantis. Sensus igitur hic est *tam scite excipiam scolia, ut ne Diacrio possit scitius.* De οὐδ' εἰ, quod Atticae elegantiae est, ut alia mittam cf. 351. οὐκ ἔστιν ὀπῆς οὐδ' εἰ σέρφῳ διαδῦναι. Ceterum nomen illud, quod Aristophani restitui, rectius fortasse Διακρέων scribitur, ut Ἀνακρέων, Δεξικρέων, Ἑρμοκρέων, alia.

Vs. 1226.

οὐδεὶς πώποτ' ἀνὴρ ἐγένετ' Ἀθηναῖος.

Locum graviter depravatum sic restituere mihi visus

sum, ut *ἐγένετο* in *γε* mutatum post *Ἀθηναῖος* ponerem. Certe probari non potest quod alii coniecerunt *ἔγεντ' Ἀθήναις*, quod aut *ἐν Ἀθήναις* aut *Ἀθήνησι* dicendum erat. *Ἀθηναῖος* recte dici penultima brevi, notissimum est. Versu sequente cum Bentleio inserui *ὡς σύ*, melius tamen Bergkius supplevit *οὐδέ*.

Vs. 1248.

πολλὰ δὴ διεκόμπασας σὺ κἀγώ.

Acute sic correxit Burgesius librorum scripturam *διεκόμισας*; quamquam quum verbi *διακομπάζειν* nullum exemplum extet, malui ponere *πολλὰ νὴ Δί' ἐκόμπασας*. Vitium item latet in *κἀγώ*, quod neque ad constructionem verborum neque ad sententiam commodum est. Quid enim causae habebat Philocleo, ut ipse sibi iniuriam faceret et Aeschini vano iactatori se compararet? Eam ob causam olim ego *νὴ Δία κομπάσας ἑάλως* scribendum putabam, nunc post *σὺ* incidendum existimo, indicata post *κἀγὼ* unius versus lacuna.

Vs. 1305.

ὥσπερ καχρύων ὀνίδιον εὐωχημένον
ἐνήλλετ' ἐσκίρτα 'πεπόρδει κατεγέλα.

Sic transposui hos versus, qui vulgo inverso ordine leguntur, quoniam asellus inepte dicitur *καταγελᾶν*. Tueri tamen possis vulgatum verborum ordinem vs. 130. *ὃ δ' ὡσπερεὶ κολοιὸς αὑτῷ παττάλους | ἐνέκρουεν ἐς τὸν τοῖχον, εἶτ' ἐξήλλετο*, ubi comparatio cum graculo non nisi eo spectat, quod Philocleo per gradus in muro exsilit tanquam graculus. Pro *κατεγέλα* Dindorfius *κἀγέλα* coniecit, fortasse propter Pac. 335. *γέγηθα καὶ πέπορδα καὶ γελῶ*. Probarem si etiam verbis *ἐσκίρτα* et *ἐπεπόρδει* praemissa esset copula *καί*.

Vs. 1335—1363.

ἀρχαῖά γ' ὑμῶν.

Non credo necessarium esse quod Hermannus malebat *τἀρχαῖά γ' ὑμῶν*. Similiter nos dicere solemus d u m m

Zeug von euch. — Vs. 1339. vulgo *ἰαιβοῖ αἰβοῖ*. Delevi cum V. *αἰβοῖ*, quod servari potest si scribas *αἰβοῖ γ' ἰαιβοῖ*. Dindorfius *ἰαὶ ἰαιβοῖ*. Quae statim sequuntur nunc mihi sic scribenda videntur:

τάδε μ' ἀρέσκει· βάλλε κημούς.
οὐκ ἀποίσεις; ποῦ 'στι ποῦ 'στιν
ἡλιαστής; ἐκποδών.

Pro *ἀποίσεις* vulgo legitur *οὐκ ἄπεισι*, quod Dindorfio praeeunte *οὐκ ἄπει σύ* scripseram. Nunc mihi *οὐκ ἀποίσεις* verum visum est cll. Av. 1032. *οὐκ ἀποίσεις τὼ κάδω;* nec displiceret *οὐκ ἀπώσει*. In proximis nunc duplicavi cum Dindorfio verba *ποῦ 'στιν*, quae fortasse lenior est Hermanni medela *ἡμῖν* supplentis, quamquam hoc ante *ἡλιαστὴς* facili errore excidere potuit. — Vs. 1363. *ἵν' αὐτὸν τωθάσω νεανικῶς | οἵως ποθ' οὗτος ἐμὲ πρὸ τῶν μυστηρίων.* Suspectae fidei est adverbium *οἵως*, pro quo VR. *οἵοις* habent, quod verum esse docet Ran. 909. *οἵοις τε τοὺς θεατὰς ἐξηπάτα.*

Vs. 1373.

B. δᾷς ἥδε; Φ. δᾷς δῆτ'. οὐχ ὁρᾷς ἐστιγμένην;

Quae sit *δᾷς ἐστιγμένη* intelligere sibi visus est scholiasta: *ἐστιγμένην, ἐζωγραφημένην· ἔγραφον γὰρ καὶ ἐκόσμουν τὰς λαμπάδας.* Atqui *στίζειν* non pingere significat, sed pungere, punctis distinguere. Omnino totum illud de facium pictura mihi temere excogitatum videtur. Quare *ἐσχισμένην* scribendum esse conieci, quod aequo iure de muliercula ista ac de taeda e segmentis lignorum fissorum composita dici potest.

Vs. 1393.

οὐδαμῶς γ', ἐπεὶ
λόγοι διαλλάξουσιν αὐτὰ δεξιοί.
ὥστ' οἶδ' ὁτιὴ ταύτῃ διαλλαχθήσομαι·

Tertium versum, in quo *ὥστε* pro *ὡς* dictum ferri non potest, ex margine, ubi a docto lectore ex alia fabula

adscriptus erat, irrepsisse arbitror. Aliter de his statuit Hamakerus, qui secundum versum eiecit et tertio scripsit *εὖ οἶδ' ὁτιή* pro *ὥστ' οἶδ' ὁτιή*, quae certe non lenis mutatio est.

Vs. 1449.

οἴμ' ὡς ἀπόλοι' αὐτοῖσι τοῖς σοῖς κανθάροις.

Vulgo legitur *ΑΠΟΛΕΙΣ*, quod quam proclivi errore ex *ΑΠΟΛΟΙΟ* nasci potuerit quivis videat; non male tamen Reiskius coniecit *ἀπολῶ σ'*, quod recepit Dindorfius. Tum *τοῖς σοῖς* scripsi pro *τοῖσι*, pro quo Rav. habet *τοῖς*.

Vs. 1490.

Φ. πτήσσει Φρύνιχος ὥς τις ἀλέκτωρ.
Ξ. τάχα βαλλήσεις.

Lascivientis haec Philocleonis verba sunt, in quibus nisi cum Bentleio *πλήσσει* pro *πτήσσει* scribas, locus intelligi non potest. Pro librorum scriptura tamen pugnat Nauckius Bulletin de l'Acad. de St. Pétersb. vol. VI. p. 54. Aristophanem consulto incongrua composuisse ratus, cuius iudicii hanc potissimum causam habuit, quoniam simplicis activi *πλήσσειν* nullum apud Atticos exemplum reperitur, id quod primus observavit Cobetus V. L. p. 332. Activi frequens apud Homerum usus est, neque quidquam impedimento est, quominus Aristophanem concessa anapaesticis numeris libertate usum epicam formam posuisse statuamus. Phrynichum autem non esse nobilem tragicum ab Aristophane summis laudibus ornatum temporum rationes evincunt; is quo anno Vespae commissae sunt, dudum ad plures abierat. Itaque saltator intelligendus fuerit, de quo dixi Hist. crit. p. 149. Altero versu Rav. *βαλλήσῃ* habet, quod recte Bergkius *βαλλήσει*, *ferieris*, scripsit. Schol. Rav. *ἀντὶ τοῦ βληθήσῃ, νικηθήσῃ.*

Vs. 1492.

σκέλος οὐράνιόν γ' ἐκλακτίζων.

Scribendum videtur *οὐρανίαν* deleta, quam RV. ignorant, particula *γέ*. Hesychius *Οὐρανίαν· ὅταν τὴν σφαῖραν ἀναβάλωσιν. καὶ τὴν τοιαύτην δὲ καθόλου παιδιὰν καλοῦσι καὶ οὐρανίζειν. παρὰ οὖν τοῦτο ἔπαιξεν Ἀριστοφάνης.* Quae glossa dubitari non potest quin vel ad hunc ipsum Aristophanis locum referenda sit, vel ad vs. 1530. *ῥῖπτε σκέλος οὐράνιον*, ubi pariter *οὐρανίαν* scribere praestat. Ad *ῥῖπε σκέλος* adnotat scholiasta *Εὐφρόνιος οὕτω φησὶν ὀνομάζεσθαι σχῆμά τι τραγικῆς ὀρχήσεως*, quae apertum est pertinere ad *οὐρανίαν*, spectantque fortasse ad Sophoclis Nausicaam.

Vs. 1507.

μὰ τὸν Δί' οὐδέν γ' ἄλλο πλήν γε καρκίνους.

Ita haec in omnibus libris leguntur; expunxit *γε* post *οὐδὲν* Brunckius, quem cum aliis sequutus sum. Nunc suspicor alterum potius *γε*, quod post *πλὴν* legitur, delendum esse, poetam autem scripsisse

μὰ τὸν Δί' οὐδέν γ' ἀλλ' ὁρῶ πλὴν καρκίνους·

Neque enim apparet unde accusativus suspensus sit. Bergkius tentabat *πλήν γε Καρκίνου.*

Vs. 1509.

τουτὶ τί ἦν τὸ προσέρπον; ὀξὶς ἢ φάλαγξ;

Carcinitae cum acetabulo comparatio quorsum spectet nemo adhuc ita docuit, ut satisfecerit. Si corruptum nomen est, fortasse *ὠτὶς* scribendum; id avis nomen esse constat ridiculo imitandi studio (*ἀντορχήσει*) famosae. V. Athenaeum IX. p. 990. squ.

Vs. 1535.

ἀλλ' ἐξάγετ', εἴ τι φιλεῖτ', ὀρχούμενοι θύραζε
ἡμᾶς ταχύ· τοῦτο γὰρ οὐδείς πω πάρος δέδρακεν
ὀρχούμενος, ὅστις ἀπήλλαξεν χορὸν τρυγῳδῶν.

Ita haec nunc scribenda esse opinor. Vulgo coniungunt *εἴτι φιλεῖτ' ὀρχούμενοι.* Recte distinxit Bergkius, quamvis *φιλεῖν* cum participio coniunxerit Aristophanes Plut. 645. *φιλεῖς δὲ δρῶσ' αὐτὸ σφόδρα.* Ad *εἴ τι φιλεῖς* e sequentibus assumendum *ἡμᾶς.* Cf. Pac. 118. *εἴπ' ὦ πάτερ εἴτι φιλεῖς με.* Altero versu *τοῦτο* i. e. *τὸ ἀξαγαγεῖν τὸν χορόν.* Sequentia nunc fere ita eduntur *δέδρακεν, ὀρχούμενον ὅστις ἀπήλλαξεν,* quae quomodo construam non habeo. Rav. *ὀρχούμενός τις.* Revocavi antiquam scripturam.

P A X.

Vs. 5.

ἰδοὺ μάλ' αὖθις· ποῦ γὰρ ἦν νῦν δὴ ἔφερες;

Miratus servus qui tam cito scarabaeus oblatam pillulam absumpserit, non potuit quaerere *ποῦ γὰρ ἦν νῦν δὴ ἔφερες*, sed debuit *ἦν νῦν δὴ ἔφερον*, siquidem *τὸ φέρειν* pinsentis servi est, de altero autem, qui pillulas ex stercore formatas scarabaeo tradebat, rectius *δοῦναι* dicitur quam *φέρειν*, nec repugnant vs. 4. et 11. ubi *δὸς* est *mihi da*.

Vs. 18.

αὐτὴν ἄρ' οἴσω συλλαβὼν τὴν ἀντλίαν.

Servo pinsenti, qui se imparem esse tam foedo negotio dixerat, responderi non potuit a primo servo quod nunc respondetur. Scribendum videtur *αὐτὴν ἄρ' οἶσε*. Recte autem *αὐτὴν* dicit, ipsam sentinam in vasculo servatam apponi iubens.

Vs. 42.

οὐκ ἔσθ' ὅπως
τοῦτ' ἔστι τὸ τέρας οὐ Διὸς καταιβάτου.

Nihil acrimoniae, nihil acuminis inest in commemoratione Iovis fulguratoris, cui quid substituendum sit clare indicat, opinor, scholiasta: *παίζει καταιβάτην αὐτὸν καλῶν, ἐπεὶ σκάτοις τρέφεται ὁ κάνθαρος*. Scribendum igitur *Διὸς σκαταιβάτου*, idemque scholiastae reddendum. Frustra editam scripturam interpretari conatus est Brunckius.

Vs. 82.

ἥσυχος ἥσυχος, ἠρέμα, κάνθων.

Haec non suspecta fuerunt criticis, nec tamen video quo pacto nominativus *ἥσυχος* commode explicari possit; certe *ἴσθι* vel *ἔχε* vel *μένε* suppleri non potest. Scribendum suspicor *ἡσυχῇ ἡσυχῇ.*

Vs. 138.

νῦν δ' ἅττ' ἂν αὐτὸς καταφάγω τὰ σιτία.

Offensus articulo Cobetus corrigit *καταφάγω 'γὼ σιτία.* Poterat etiam facilius *καταφάγω γ' ἂν σιτία.* Editam tamen scripturam tuetur vs. 676. *οὗπερ φησὶν εἶναι τοῦ πατρός* et vs. 791. *ὃ παρ' ἐλπίδας εἶχε τὸ δρᾶμα.*

Mox vs. 154. iniuria, opinor, nescio nunc quis mutavit verborum ordinem *ἀλλ' ἄγε Πήγασε χώρει χαίρων*, abolita quam consulto quaesivit poeta parechesi *χώρει χαίρων*, quam neglexit sane poeta Ran. 1500. *ἄγε δὴ χαίρων Αἰσχύλε χώρει.*

Vs. 217.

ἐλέγετ' ἂν ὑμεῖς εὐθύς· ἐξαπατώμεθα
νὴ τὴν Ἀθηνᾶν, νὴ Δί', οὐχὶ πειστέον.

Trisyllabae formae *Ἀθηνᾶ* quum nullum in antiqua atthide exemplum reperiatur et duorum iuramentorum coniunctio admodum insolens sit, recte me correxisse existimo *νὴ τὴν Ἀθηναίαν· μὰ Δί' οὐχὶ πειστέον.* Eandem ob causam, opinor, Bergkius verba *ἐξαπατώμεθα νὴ τὴν Ἀθηνᾶν, νὴ Δί'* tanquam spuria seclusit. Pro *πειστέον* rectius fortasse Hirschigius ad Vespas p. 149. reponit *σπειστέον.*

Vs. 232.

ἀλλ' εἶμι· καὶ γὰρ ἐξιέναι γνώμην γ' ἐμὴν
μέλλει· θορυβεῖ γοῦν ἔνδοθεν.

Ita scribendum pro *γνώμην ἐμήν*, ut vidit etiam Herwerdenus. Cfr. Eccl. 153. *νῦν δ' οὐκ ἐάσω κατά γε τὴν ἐμήν.* Vesp. 983. *ἐγὼ γὰρ ἐπεδάκρυσα νῦν γνώμην ἐμὴν | οὐδέν ποτ' ἀλλ' ἢ τῆς φακῆς ἐμπλήμενος*, ubi

itidem γε excidit. Frequens haec dictio est apud Platonem, cuius exempla collegit Heusde Spec. Plat. p. 102. Adde Theopompum apud Harpocrat. p. 107, 29.

ἀλλ' ἡ μὲν Εἰλείθυια συγγώμην ἔχει
ὑπὸ τῶν γυναικῶν οὖσα καταπλὴξ τὴν τέχνην.

Dixi de hoc Theopompi fragmento Com. Gr. II. p. 815. sed ut de postremis verbis nihil extricarem. Scribendum vero:

ὑπὸ τῶν γυναικῶν οὖσα καταπλὴξ τήν γ' ἐμήν.

Vs. 234.

καὶ γὰρ ὥσπερ ᾐσθόμην
καὐτὸς θυΐας φθέγμα πολεμιστηρίας.

Praeter necessitatem fortasse edidi καὶ γὰρ αὐτὸς ᾐσθόμην ὥσπερ θυΐας, quamquam id magis atticae elegantiae est, quam quod vulgo legitur. Constanter enim Attici dicebant καὶ γὰρ αὐτός, non autem καὶ γὰρ καὶ αὐτός, de quo admonui ad Menandri Reliquias p. 343. cf. Fritzschium ad Aristophanis Thesm. 173. Cobetus satis habuit scribere καὶ γὰρ ὥς σύ περ ᾐσθόμην καὐτός, quo pacto καὐτὸς recte dictum est.

Vs. 251.

οἷον πόλις τάλαινα διακναισθήσεται.

Sic correxi codicum scripturam οἵα, cui obvertit Richterus, sic requiri articulum; nimirum verba οἷον πόλις τάλαινα ex Euripide aliove tragico Aristophanem derivasse sumebatur.

Vs. 266.

τούτῳ ταράξει τὰς πόλεις καθήμενος.

Ταράττειν πόλιν ab hoc loco, ubi non de turbandis urbibus agitur, sed de evertendis, prorsus alienum est, ut recte mihi ad sententiam loci coniecisse videar κατατρίψει cll. vs. 231. 246. Nunc propius ad traditae scripturae vestigia σπαράξει a poeta scriptum esse arbitror. Recte autem legitur καθήμενος, quod neque σχολαῖος vel ἥσυχος significat, neque in vitii suspicionem

vocandum. Cf. Eccles. 221. *καθήμεναι φρύγουσιν.* Talia negotia a sedentibus peragebantnr.

Vs. 283.

ἐς τἀπὶ Θρᾴκης χωρία
χρήσαντες ἑτέροις αὐτὸν εἶτ' ἀπώλεσαν.

Constanti usu veteres Attici dicunt *ἐς τἀπὶ Θρᾴκης*, quare fuit quum vitium loco inhaerere suspicarer; videtur tamen idem h. l. legisse Pseudo-Euripides Epist. 61. *εἰς τἀπὶ Θρᾴκης χωρία στέλλετε.*

Vs. 299.

ὡς τάχιστ' ἄμας λαβόντες καὶ μοχλοὺς καὶ σχοινία·
νῦν γὰρ ἡμῖν ἁρπάσαι πάρεστιν ἀγαθοῦ δαίμονος.

Bono genio, cui peracta coena libabatur, non video quo pacto hic locus esse possit, ubi agitur de Pace dea vinculis et carcere liberanda. Quare scribendum esse suspicor *ἀγαθὴν δαίμονα*, mutatione minime violenta; nam quum *δαίμονα* errore uno omnium frequentissimo in *δαίμονος* corruptum esset, supervenit alius qui *ἀγαθὴν* in *ἀγαθοῦ* corrumperet. Quid dici debeat praeter scholiastam intellexit etiam Velsenus in Museo Rhen. XVIII. p. 131. iusto ille tamen licentius corrigens *νῦν γὰρ ἁρπάσαι πάρεστι μητέρ' ἀγαθοῦ δαίμονος.*

Vs. 303.

τάξεων ἀπαλλαγέντες καὶ κακῶν φοινικικῶν.

Adiectivum *φοινικικός* ad *φοινικίς* revocari non potest; quare poetam scripsisse suspicatus sum *κακῶν φοινικίδων*, ut chorus militaria saga exsecrari existimetur. Cf. 1173 sqq.

Vs. 316.

οὔτι χαίρων ἔστιν αὐτὴν ὅστις ἐξαιρήσεται.

Ita scribendum putavi pro eo quod vulgo legitur *οὔτι καὶ νῦν ἔστιν*, quod nondum extitit qui probabiliter explicaret. Fidem coniecturae faciet locus Eupolidis Fragm.

Com. II. p. 457. *οὔτι γὰρ | χαίρων τις αὐτῶν τοὐμὸν ἀλγυνεῖ κέαρ*, et ipse Aristophanes cum aliis locis tum Vesp. 186. *μὰ τὸν Δἴ οὔτι χαιρήσων γε σύ*. Dobraeus coniecerat *οὔτι νῦν γ᾽ ἔτ᾽ ἐστίν*, Richterus *οὐδ᾽ ἐκεῖθεν*, *ne illinc quidem, ex inferis*.

Vs. 328.

ἓν μὲν οὖν τουτί μ᾽ ἔασον ἑλκύσαι, καὶ μηκέτι.

Emendati sermonis lex postulat ut scribatur *τοῦτ᾽ ἔτι μ᾽ ἔασον*. Edita lectio ferenda esset, nisi identidem chorus saltaret. Sequente versu recte Richterus edidit *κοὐ μηκέτ᾽ ἄλλο μηδὲν ὀρχήσεσθ᾽ ἔτι*, nisi quod praeterea cum Boissonado scribendum est *ὀρχήσεσθέ τι*.

Vs. 336.

μᾶλλον ἢ τὸ γῆρας ἐκδὺς ἐκφυγὼν τὴν ἀσπίδα.

Insigne lascivientis criticae exemplum dedere viri doctissimi, qui sanissima verba ita scilicet corrigi voluerunt *ἢ τὸ γῆρας ἐκδὺς οὔφις ἀσπίδ᾽ ἐκφυγών*. Apertum est hoc dicere poetam, *τὴν ἀσπίδα ἐκφυγὼν μᾶλλον γελῶ ἢ εἰ τὸ γῆρας ἐκδυίην*, *quam si* (serpentis more) *senectam exuissem*. Cfr. Horatius Ep. XIII, 5. *obducta solvatur fronte senectus*.

Perversa item Bergleri explicatio est verborum *ἐκφυγὼν τὴν ἀσπίδα*, quae ambigue dicta esse statuit, *ἀσπίδα* enim et clupeum et serpentem significare; quasi perinde sit, utrum dicas *serpens senectam exuit*, an *senecta serpentem exuit*.

Vs. 341.

πλεῖν, μένειν, βινεῖν, καθεύδειν.

Minus feliciter pro *πλεῖν μένειν* Herwerdenus *πλημμελεῖν*, infeliciter vero alius vir doctus *βδεῖν μένειν* scribendum esse coniectat, quam iure merito foetidam Richterus coniecturam appellat. Nunc plenam omnibus quicquid agendi libertatem suppetere dicit, sive peregre abire velint sive domi manere etc. Pro *κινεῖν*, quod nihil

est et pro subagitare dici non potest, recte Ven. obtulit *βινεῖν*. Cf. 867. *βινεῖν τε καὶ καθεύδειν*.

Vs. 344. teneo adhuc quod pro vitioso *συβαρίζειν* scripsi *πυδαρίζειν*, quod prima longa dictum esse etsi ex Equ. 697. *ἀπεπυδάρισα μόθωνα περιεκόκκασα* certo effici non potest, tamen probabile est.

Vs. 402.

κλέπται τὰ νῦν γάρ εἰσι μᾶλλον ἢ προτοῦ.

Vulgo legitur *κλέπται γάρ εἰσι νῦν γε μᾶλλον*. Ven. *κλέπται τε γὰρ νῦν μᾶλλόν εἰσιν*, quod sequutus est Dindorfius, de particulis *τε γάρ*, *namque*, afferens Sophoclem Trach. 1019. de quo loco dixi ad Oedipum Col. p. 305. Recte opinor pro *τε* scripsi *τά*, sed ordinem verborum, qualem Ven. habet, non erat cur mutarem. Versus in Rav. omissus est.

Vs. 430.

τἄλλα δ' εὑρήσεις ὑπουργεῖν ὄντας ἡμᾶς οὐ κακούς.

Quae sint *τὰ ἄλλα* adeo non intelligo, ut grave vitium subesse credam. Iube modo, chorus infit, quid nobis faciundum sit. Qui igitur pergere potuit *in ceteris autem nos dicto obedientes experieris?* Hanc ob causam quid dici debeat, non literarum ductus sequens *καὶ γὰρ εὑρήσεις* scribendum esse conieci. Facilius tamen corrigas *πάντα δ' εὑρήσεις*.

Vs. 523.

ὦ χαῖρ' Ὀπώρα, καὶ σὺ δ' ὦ Θεωρία.
οἷον δ' ἔχεις τὸ πρόσωπον ὦ Θεωρία,
οἷον δὲ πνεῖς, ὡς ἡδὺ κατὰ τῆς καρδίας,
γλυκύτατον ὥσπερ ἀστρατείας καὶ μύρου.

Damnavit hos versus atque in genuinorum versuum locum ab interpolatore suffectos esse statuit Hamakerus, cuius sententiae quominus accedam, prohibet insignis loci elegantia, quae maior est quam ut versus illos falsario deberi credere liceat. Nihil difficultatis remanebit, si versu secundo pro *ὦ Θεωρία*, quae ex praecedente versu repetita

sunt et genuina verba expulerunt, reposueris *Εἰρήνῃ φίλῃ*. Ita omnia illa quae inde a versu 525 usque ad 538 leguntur, ut par est, ad Pacem deam referenda sunt, de qua tam apte dicuntur, quam inepte praedicantur de Theoria. Unum superest, de quo paucis admonendum est. Nam quum Oporam et Theoriam, quas Paci deae poeta comites et pedisequas adiunxit, ipsa in scena repraesentatas fuisse certum sit, vix satis apte vs. 530. Pax *ὀπώραν* redolere dicitur,

ταύτης δ' ὀπώρας, ὑποδοχῆς, Διονυσίων.

Poterit autem hoc facillime ita removeri ut pro *ταύτης δ' ὀπώρας* poetam scripsisse statuas *ταύτης δὲ χώρας*, ut Pax dea rus olere dicatur.

Vs. 630.

νὴ Δί' ὦ μέλ' ἐνδίκως γε δῆτα.

Haec chorus respondet Trygaeo ad verba *ἐν δίκῃ μὲν οὖν*, unde scribendum aut in Trygaei oratione *ἐνδίκως μὲν οὖν*, aut in chori responso *ἐν δίκῃ γε*. Nunquam aliter Aristophanes, ubi per metrum licebat, loquutus est. — Vs. 660. bene Velsenus scripsit *οἶδ'· ἀλλὰ πρὸς σὲ μικρὸν εἰπάτω μόνον*. V. Museum Rhen. XVIII. p. 129.

Vs. 729.

ἡμεῖς δὲ τέως τάδε τὰ σκεύη παραδόντες
τοῖς ἀκολούθοις δῶμεν σῴζειν.

Pro *δῶμεν*, quod post *παραδόντες* illatum non tuentur consimilis abundantiae exempla a Lobeckio ad Phrynichum p. 754 allata (sunt enim generis plane diversi), *φῶμεν* scribendum putavi. Quis ferat dicentem: nos autem traditam hanc supellectilem eis servandam tradamus. — Vs. 755. librorum scripturam *Κύννης ἀκτῖνες* contra Cobeti dubitationes, qui *Κύννας* scribi voluit, satis tuetur allatus a Bergkio titulus Progr. acad. Hal. 1861. Eodem versu genetivus *οὗ* ab *ὀφθαλμῶν* pendet, ut nihil opus sit *ᾧ* reponere cum Kiehlio. — Vs. 758. necessario scribendum *λαμίας ὄρχεις*. Lamiae, foedae et portentosae mulieri,

nullum hic locum esse ostendere poterant criticis testiculi. Sensit aliquid Didymus, sed male excusat poetam *εἰδωλοποιεῖ τινὰς ὄρχεις Λαμίας· θῆλυ γάρ.* Imo *λάμια* h. l. piscis nomen est, de quo vide scriptorum testimonia apud H. Stephanum Thes. V. p. 75. c.

Vs. 770.

πᾶς γάρ τις ἐρεῖ νικῶντος ἐμοῦ
κἀπὶ τραπέζῃ καὶ ξυμποσίοις
φέρε τῷ φαλακρῷ, δὸς τῷ φαλακρῷ
τῶν τρωγαλίων.

Dubito an haec integre scripta sint, neque enim *ἐπὶ συμποσίοις* dici potest pro *ἐν συμποσίοις*. Corrigendum igitur opinor *κἀν συμποσίοις*. Mensam autem non intelligo, ut voluit Richterus, de mensa nummulariorum in foro res suas agentium, ut sensus sit *et foris et domi;* quis enim unquam ita loquutus est, ut sic *τράπεζαν* domesticis epulis opponeret? sed *τράπεζαν* de privatis epulis interpretor, quibus opponit poeta *συμπόσια* h. e. publica convivia, bei Tisch und bei Gastgelagen. Nisi quis forte *τράπεζαν* et *συμπόσια* per notissimam figuram coniuncta esse malit, cuius exempla alio loco attuli.

Praeterea in loco supra adscripto male me habent verba *φέρε* et *δός*, quae tamen nihil inter se differunt; et quid est quod chorus nihil praeter cupedias poetae apponi iubet? quare non male, opinor, post *φέρε τῷ φαλακρῷ* excidisse conieci *τῶν ὀψαρίων* vel simile nomen.

Vs. 789.

ὄρτυγας οἰκογενεῖς, γυλιαύχενας ὀρχηστάς.

Ineptissime, si quid video, Carcinorum cervices comparantur cum *γυλίῳ, pera militari.* Scribendum igitur existimo *γυιαύχενας*, quorum cervices crebris inter saltandum flexibus *γυιαί* evaserunt, sive id per *ἀσθενεῖς* explicare velis, sive de incurvatis cervicibus intelligas. Cfr. Callimachus Dian. 177. *γυιαί τε καὶ αὐχένα κεκμηυῖαι.*

Vs. 836.

ὡς ἦλθ', εὐθέως
ἑῷον αὐτὸν πάντες ἐκάλουν ἀστέρα.

Qui sint illi *πάντες*, frustra quaerere allaboravi; scribendum suspicor *πάντες ἐκάλουν ἀστέρες*.

Vs. 886.

ἄγε δὴ σὺ κατάθου πρῶτα τὰ σκεύη χαμαί.

Quae sint *τὰ σκεύη*, quae gestare dicit Trygaeus Theoriam (hanc enim alloquitur), nemo adhuc docuit; sequentia ostendunt aperte, iubere Trygaeum Theoriam ut nudam sese spectandam praebeat. Eam ob causam *τὴν σκευήν* scripsi, coniectura, ut opinor, certissima.

Vs. 897.

πλαγίαν καταβάλλειν, ἐς γόνατα κῦβδ' ἑστάναι.

Distinxi post *ἐς γόνατα*, quoniam qui in genua procumbit non potest *ἑστάναι* dici; recte autem *ἐς γόνατα καταβάλλειν* dici potest is, qui alium in genua procumbere iubet. Ad *πλαγίαν* conferri potest Ovidius A. A. III, 788. *cum iacet in dextrum semisupina latus.* Pro *ἑστάναι* rei accommodatius fuerit *ἱστάναι*.

Vs. 931.

ἵν' ὅταν ἐν τῇ 'κκλησίᾳ
ὡς χρὴ πολεμεῖν λέγῃ τις, οἱ καθήμενοι
ὑπὸ τοῦ δέους λέγωσ' ἰωνικῶς ὀΐ.

Sic haec scribenda erant, non ut Kiddio praeeunte Richterus edidit *ἵν' ἐάν*, quod ultimam producit; vulgo abest *ὅταν*, et pro *λέγῃ* Rav. habet *λέγει*, V. *λέγοι*, quo recepto Bergkius coniecit *ἵν' ὁπότ' ἐν τῇ 'κκλησίᾳ — λέγοι*.

Vs. 1135.

ἐκκέας τῶν ξύλων ἅττ' ἂν ᾖ
δανότατα τοῦ θέρους
ἐκπεπρισμένα.

Horum versuum tertius non respondet antistrophico *ἐσθίω κἀπέχω*. Scribendum opinor *ἐκπεπρισμέν'* – ⏑ –,

ut creticus pes exciderit. Nec versus antistrophicus sine labe est; quis enim serio scholiastae credat *οἶνον* ad *ἐπέχω* suppleri posse affirmanti? Corrigendum videtur *ἐσθίω κἀγχέω.*

Vs. 1177.

κᾆτα φεύγει πρῶτος ὥσπερ ξουθὸς ἱππαλεκτρυών
τοὺς λόφους σείων· ἐγὼ δ' ἕστηκα λινοπτώμενος.

Incredibile mihi videtur poetam *λίνον* contra omnem omnium poetarum consuetudinem prima longa extulisse. Nihil enim tribuendum Sophoclis fragm. apud Hesychium v. *ἀμφίλινα κρούπαλα.* Vetus tamen mendum esse ostendit adnotatio scholiastae: *λινόπτας τοὺς τὰ θηρευτικὰ λίνα φυλάττοντας, ὡς καὶ οἰνόπτας τοὺς οἰνοφύλακας.* Vix dubitari potest quin *ληνοπτώμενος*, *torcularium prelum observans*, scribendum sit, sive id usitatum hac in re verbum fuerit, sive a poeta demum ad similitudinem verbi *λινοπτᾶσθαι* fictum. Verbum hoc securam et a bellicis turbis liberam agricolarum vitam optime exprimit.

Vs. 1201.

νυνὶ δὲ πεντήκοντα δραχμῶν ἐμπολῶ.

Haec inepta esse intellexere omnes, de medela autem dissentiunt. Virorum doctorum coniecturis accedat haec mea: *νυνὶ δὲ πέντε γ' αὐτὰ δραχμῶν* (vel *δαρχμῶν*) *ἐμπολῶ*, quae hoc certe reliquorum commentis praestat, quod absque sententiae detrimento presse sequitur tradita literarum vestigia.

Vs. 1225.

τί δαὶ δεκάμνῳ τῷδε θώρακος κύτει
ἐνημμένῳ κάλλιστα χρήσωμαι;

In his *ἐνημμένῳ* Berglerus interpretatur *superinducto* vel *intus subducto corio.* Id quum *ἐνῆφθαι* significare non possit, scribendum putavi *συνημμένῳ*, legitque id ipsum manifesto scholiasta *συντεθειμένῳ, ἐρραμμένῳ.* Pro *θώρακος* optimi codd. R. V. habent *θώρηκος*, quod recte habet, si verba *τῷδε θώρηκος κύτει* ex Archilocho aliove iambographo translata esse statuas.

Vs. 1231.

ποίᾳ δ' ἀποψήσει ποτ' ὠμαθέστατε;

Non recte haec interpretatur novissimus editor, *ποίᾳ* pro *ποτέρᾳ* sc. *χειρὶ* dictum esse statuens. Imo *ποίᾳ* pro *πῶς* vel *ποίως*, quod ab Atticorum usu alienum est, dixit poeta. In sequentibus *τηδὶ καὶ τῇδε* de duplice thoracis apertura, per quam brachia exseruntur, intelligendum est; vidit hoc iam Brunckius.

Vs. 1262.

εἰ διαπρίσειεν δίχα,
λάβοιμ' ἂν αὔτ' ἐς χάρακας ἕκατον τῆς δραχμῆς.

Legitur vulgo *διαπρισθεῖεν*, quod quum aperte vitiosum sit, scripsi *διαπρίσειεν*. Malim nunc *διαπρισθείη*.

Vs. 1265.

νὴ τὸν Δί', ὡς τὰ παιδί' ἤδη 'ξέρχεται
οὐρησόμενα τὰ τῶν ἐπικλήτων δεῦρ', ἵνα
ἅττ' ᾄσεται προαναβάληταί μοι δοκεῖν.

Si cantandi periculum facturi convivarum pueri prodeunt, ineptissime iidem mingendi causa scenam intrasse dicuntur; adde quod illiberale et spurcum hoc iocandi genus est, a quo aliena fuit Aristophanis poesis. Multum ab his differunt quae habes e. c. in Thesmoph. 611. sq. aliisque locis. Non dubitandum igitur quin *οὐρησόμενα* vitio laboret, cuius loco quod Bergkius tentabat, *μινυριζόμενα cantillantes*, ad sensum bonum est, non item ad mutationis facilitatem; ac desidero certum mediae formae exemplum. Scribendum puto *ὀρχησόμενα*, saltaturi, i. e. recitaturi in convivio proxime celebrando. Cf. Thesmoph. 1177. *ἡ παῖς ἔμελλε προμελετᾶν, ὀρχησομένη γὰρ ἔρχεθ' ὡς ἄνδρας τινάς.* Edita scriptura non suspecta fuit neque Elmsleio ad Sophoclis Oed. Col. 177. p. 108. neque Cobeto Nov. Lect. p. 255.

EQUITES.

Vs. 9.

ξυναυλίαν κλαύσωμεν Οὐλύμπου νόμον.

De his ita statuo ut verba *Οὐλύμπου νόμον* ipsa esse tragici alicuius verba existimem, quae *αὐτολεξεὶ* Aristophanes assumpsit, non ut ea rideret, sed ut comicae dictioni aliquid gravitatis conciliaret. Sensus est: an lamenta misceamus lugubribus usi modis Olympi.

Vs. 20.

ἀλλ' εὑρέ τιν' ἀπόκινον ἀπὸ τοῦ δεσπότου.

Dobraeum male habuit *τιν' ἀπόκινον;* quod autem *εὑρετέον* corrigendum esse dicit, propter metrum ferri non potest. Quare si quid mutandum, scribendum est *εὑρετέ' ἀπόκινον.* At recte libri *τιν'* habent, quod ut saepe alias quasi adverbiascit *quaere quo pacto quasi saltantes.* Cfr. Eccl. 351. *ἀλλὰ σὺ μὲν ἱμονιάν τιν' ἀποπατεῖς.* Ceterum post hunc versum excidisse aliquid vere, opinor, intellexit Adolphus de Velsen in Museo Rhen. nov. vol. XVIII. p. 124.

Vs. 25.

πρῶτον λέγε
μόλωμεν, εἶτα δ' αὐτό, κατεπάγων πυκνόν.

Pro *κατεπάγων* Rav. *κατεπαίδων* i. e. *κατεπᾴδων,* cuius scripturae vestigia etiam alii codices referunt, ediditque ita Bergkius. Ac fortasse ita scripsit Aristophanes; ut editam scripturam servarem, movit me locus Sosipatri apud Athenaeum IX. p. 378 f. *πότε δεῖ πυκνότερον ἐπαγαγεῖν καὶ πότε βάδην.* Malim vero *κᾆτ' ἐπάγων πυκνόν.*

Vs. 32.

ποῖον βρέτας; ἐτεὸν ἡγεῖ γὰρ θεούς;

Haec est optimorum librorum scriptura, quam ut emendarent critici, alii alias vias inierunt, Porsonus *βρέτας; τὸ ποῖον ἐτεόν;* Reisigius *ποίων βρέτας θεῶν;* quod nollem placuisset editoribus recentissimis, *θεὸς* ne semel quidem apud comicos poetas pro monosyllabo esse oblitis. Credo equidem me veram lectionem restituisse *ποῖον βρέτας; φέρ᾽, ἐτεὸν ἡγεῖ γὰρ θεούς; ΦΕΡ* quam proclivi errore ante *ET* excidere potuerit apertum est. Praeterea servatur quod necessario servandum erat *ποῖον βρέτας; quod tu mihi narras dei simulacrum?*

Vs. 49.

ἤκαλλ᾽ ἐθώπευ᾽ ἐκολάκευ᾽ ἐξηπάτα
κοσκυλματίοις ἄκροισι τοιαυτὶ λέγων.

Pro *ἄκροισι* eleganter et fortasse recte Wolfgangus Helbig (Jahrb. für class. Philol. 1861. p. 535.) scribendum esse coniecit *σαθροῖσι*, mucida corii resegmina intelligens.

Vs. 87—89.

ἰδού γ᾽ ἄκρατον· περὶ πότου γοῦν ἐστί σοι;

Πότου pro *ποτοῦ* scripsi praeeunte Kockio. *γοῦν* in interrogatione insolens est, nec defendit locus ab Dindorfio allatus Hel. 1247. *ἐν εὐμαρεῖ γοῦν σὴν κασιγνήτην θανεῖν;* ubi alii rectius interrogationis signum tollunt. In nostro loco nonnulli codices *γὰρ* habent interpolatione manifesta, Rav. *οὖν*. Conici potest *νυν*, vel *περὶ πότον νοῦς ἐστί σοι;* quemadmodum est in proverbiali dictione *νοῦς ἐν καπήλου* apud Platonem Fragm. Com. vol. II. p. 674. Ceterum vereor ne versus, de quo agimus, alienam sedem occupaverit, poeta autem totum locum ita scripserit:

A. μὰ Δί᾽ ἀλλ᾽ ἄκρατον οἶνον ἀγαθοῦ δαίμονος.
B. ἰδού γ᾽ ἄκρατον· περὶ πότον νοῦς ἐστί σοι;
A. ἴσως γὰρ ἂν χρηστόν τι βουλευσαίμεθ᾽ ἄν.
B. πῶς δ᾽ ἂν μεθύων χρηστόν τι βουλεύσαιτ᾽ ἀνήρ;

Cui alter respondet: *ἄληθες οὗτος; κρουνοχυτρολήραιος εἶ.*

Ita enim scripsit Dobraeus ex cod. *Γ.* in quo *κρουνοχυτρολήραιος* (ον supra scriptum) est, ceteri codices ad unum omnes *κρουνοχυτρολήραιον εἶ.* Vox ista sine dubio corrupta est; qui enim a *λῆρος* adiectivum *ληραῖος* fingi potest? Vetus esse mendum ex eo intelligitur quod iam Ulpianus Aristophanea composuit cum verbis Demosthenis Orat. p. 36, 17. *τὰς ἐπάλξεις ἃς κονιῶμεν, καὶ τὰς ὁδοὺς ἃς ἐπισκευάζομεν, καὶ κρήνας καὶ λήρους.* Haec qui cum alio Demosthenis loco ex orat. *περὶ συντάξεως* p. 175, 4. comparavit Dindorfius, *δημοσίᾳ μὲν ἡ πόλις ἡμῶν τὰς ὁδοὺς ἀγαπᾷ κακασκευάζουσα καὶ κρήνας καὶ κονιάματα καὶ λήρους*, coniecit *κρῆναι καὶ λῆροι* proverbialiter dicta esse. Non credo, sed *λῆροι* in utroque Demosthenis loco in fine sententiae positum nihil aliud significat quam *atque alias eiusmodi quisquilias.* Neque aptum esset tale proverbium ad locum Aristophanis, qui si quid video aquae potorem significare voluit, cui aqua fontana pro vino esset. Scribendum igitur, ni coniectura fallit, *κρουνοχυτρολήναιον εἶ.* Aliam Bentleius viam inivit, cui *κρουνοχυτρολήμαιον* scribendum videbatur, cui ex parte similis est Bergkii coniectura *κρονικοχυτρολημαῖος.*

Vs. 163.

τὰς στίχας ὁρᾷς τὰς τῶνδε τῶν λαῶν; ΑΛΛ. ὁρῶ.

Quod Cobetus verissime observat, Homericorum locorum imitationes saepe doctos homines fugisse, id ipsi cum aliis locis*) tum hoc loco accidit. Quis enim nescit illud Il. IV, 90. *λαῶν στίχες ἀσπιστάων*, qui versus manifesto obversabatur Aristophani, consulto et hic et vs. 159. et 164. grandiloquum poetarum sermonem imitanti. Nolim igitur pro *λαῶν* Aristophani vulgarem formam *λεῶν* obtrudere.

---

*) E. c. apud Lucianum XXXII, 14. *τὸν ἀρτιγέννητον Ἀσκληπιόν, δὶς τεχθέντα, ὅτε ἄλλοι ἅπαξ τίκτοντ' ἄθρωποι*, ubi Cobetus V. L. p. 294. delet verba *ὅτε — ἄνθρωποι*, quae ex Odyss. *μ'.* 22. adumbrata sunt *διαθανέες, ὅτε τ' ἄλλοι ἅπαξ θνήσκουσ' ἄνθρωποι.*

Vs. 193.

ἀλλ' εἰς ἀμαθῆ καὶ βδελυρόν· ἀλλὰ μὴ παρῇς
ἅ σοι διδόασ' ἐν τοῖς λογίοισιν οἱ θεοί.

Aut fallor aut haec verba vitium alunt a criticis non animadversum. Proxime haec antecedunt verba *ἡ δημαγωγία γὰρ οὐ πρὸς μουσικοῦ | ἔτ' ἐστὶν ἀνδρὸς οὐδὲ χρηστοῦ τοὺς τρόπους*, quibus quo pacto salva structura inferri possit *ἀλλ' εἰς ἀμαθῆ καὶ βδελυρόν*, nemo adhuc docuit. Supplendum esse dicunt *ἐλήλυθεν*. Talia si suppleri possunt, non video equidem quid non supplere licitum sit. Quare locum corruptum esse non dubito; pro *διδόασ'* Rav. aliique codices habent *διδόασιν*, unde scribendum videtur:

ἀλλ' εἰς ἀμαθῆ καὶ βδελυρὸν ἧκεν· ἀλλὰ μὴ
παρῇς ἅ σοι διδόασιν ἐν λογίοις θεοί,

cll. Plut. 919. *οὐκοῦν ἐκεῖνός εἰμ' ἐγώ· ὥστ' εἰς ἔμ' ἥκει τῆς πόλεως τὰ πράγματα.* Legitima structura etiam in sequentibus violata est:

πῶς δῆτά φησ' ὁ χρησμός; ΟΙΚ. εὖ νὴ τοὺς θεοὺς
καὶ ποικίλως πως καὶ σοφῶς ᾐνιγμένος.

Quae ad emendati et attici sermonis legem ita scribenda esse conicio:

πῶς δή; τί φησ' ὁ χρησμός; ΟΙΚ. εὖ νὴ τοὺς θεούς
καὶ ποικίλως πως καὶ σοφῶς ᾐνιγμένα.

Vs. 210.

τὸν οὖν δράκοντά φησι τὸν βυρσάετον
ἤδη κρατήσειν, αἴκα μὴ θαλφθῇ λόγοις.

Ita haec iam olim in Bergkii Annal. Antiqu. stud. 1843. p. 294. scribenda esse docui, usus eam in rem Etymol. M. p. 732, 30. *ἔστι τοῦτο δεῖξαι ἀπὸ διαλέκτου ὅτι (τὸ σύγε) ἓν μέρος λόγου ἐστίν, ἐπειδὴ οἱ Δωριεῖς σύγα (τύγα?) λέγουσιν· εἰ δὲ ἦσαν δύο μέρη λόγου, οὐκ ἂν οὕτως ἔλεγον· ἐπὶ γὰρ συνδέσμου οὐ τρέπουσι τὸ ε εἰς α· οὐδὲ γὰρ τοῦ μὲν συνδέσμου ἢ τοῦ δὲ τὸ ε τρέπουσιν. ἔστι δὲ εἰπεῖν, ὅτι κακῶς λέγουσι· καὶ γὰρ ἐπὶ συν-*

δέσμον τρέπεται· οἷον αἴκε, αἴκα μὴ θαλφθῇ λόγοις. Haec quamquam vix sine vitio scripta sunt, apertum tamen est, non *αἴκε*, ut nostri libri habent, grammaticum illum, quisquis est, in suo Aristophanis exemplari repperisse, sed *αἴκα*. Ac veram esse hanc scripturam ostendunt quae ad haec respondet isiciarius *τὰ μὲν λόγι᾽ αἰκάλλει με*, in quibus manifesta est ad *αἴκα* allusio. De correptione particulae *κά*, quae alias fere producitur, dixi l. l. ubi quod *αἴκα* in Aristophanis loco etiam in Rav. scriptum esse indicavi, per errorem dictum est.

Vs. 239.

ἀπολεῖσθον ἀποθανεῖσθον ὦ μιαρωτάτω.

Nihil haec habent in quo iure quis offendat, at cum Rav. pro *ἀποθανεῖσθον* habeat *ἀπολεῖσθον*, vix dubitari potest quin Aristophanes scripserit:

ἀπολεῖσθον ἐξαπολεῖσθον ὦ μιαρωτάτω,

quod mihi quidem editae lectioni haud parum praestare videtur. Cfr. Nub. 1136. *θείς μοι πρυτανεῖ᾽ ἀπολεῖν μέ φησι κἀξολεῖν.*

Vs. 264.

καὶ σκοπεῖς γε τῶν πολιτῶν ὅστις ἐστὶν ἀμνοκῶν,
πλούσιος καὶ μὴ πονηρὸς καὶ τρέμων τὰ πράγματα.

Recte opinor intellexit Kockius *σκοπεῖν* ex vs. 259. huc translatum esse poetamque fortiore verbo usum esse: corrigit igitur *πέκεις*. Sed hac forma valde dubium est num veteres scriptores usi sint; Aristophanes certe *πεκτεῖν* dixit, nunquam *πέκειν*. Quare, si quid mutandum est, malim omnino *καὶ σποδεῖς γε*. Cfr. Av. 1016. *ὁμοθυμαδὸν σποδεῖν ἅπαντας τοὺς ἀλαζόνας δοκεῖ.*

Vs. 276.

ἀλλ᾽ ἐὰν μὲν τόνδε νικᾷς τῇ βοῇ, τήνελλος εἶ.

Non nauci esse quod libri omnes habent *τήνελλος εἶ* dudum intellectum est a criticis, quorum Porsonus *τήνελλ᾽ ἔσει* corrigebat, *τήνελλά σοι* Kockius. Praetuli his

τηνελλάσει, i. e. *τηνελλασθήσει*, *τήνελλα tibi acclamabitur.* Finxit igitur poeta a *τήνελλα* verbum *τηνελλάζειν*, ut *εὐάζειν* ab *εὖα* formatur, et multa eiusdem generis similia. Abusus est Aristophanis loco Herm. Wentzel Quaest. metr. p. 15. ad restituendum incerti auctoris versum apud Endlicherum Anal. Vindob. p. 516.

videtis infantem Iovis Tirynthium tenellum,

in quo si recte *tenellum* pro *sigillum* restitutum est, non tamen id ad *τήνελλος*, ut *victorem* significet, revocari posse metrum ostendit.

Vs. 319.

νὴ Δία κἀμὲ τοῦτ᾽ ἔδρασε ταὐτὸν ὥστε καὶ γέλων
πάμπολυν τοῖς δημόταισι καὶ φίλοις παρασχεθεῖν.

Dindorfius *νὴ Δί* edidit, grammaticorum quorundam doctrinam secutus, *νὴ Δί* pro *νὴ Δία* dictum esse affirmantium; fateor me parum fidei huic doctrinae habere, quae quo errore nata sit facile intelligitur. Nec tamen ideo dactyli usum defendam, quamvis simillimum nostro exemplum habeat Hermippus Athenaei XI. p. 486. a.

τῷ Διονύσῳ πάντα τἀμαυτοῦ δίδωμι χρήματα.

Sed hoc metri necessitate coactus poeta dixit. Codices in nostro loco praeter Rav. omnes habent *καὶ νὴ Δία κἀμέ*, ac vereor ne locus interpolatus sit, ut perquam incerta sit medela. Nisi forte scribendum est *νήχι κἀμὲ τοῦτ᾽ ἔδρασε* cll. Hesychio *Νήχι· ναί, ἦ μήν.* ita enim pro *ναὶ μὴν* scribendum videtur. Non pauca *ἅπαξ λεγόμενα* apud Aristophanem reperiuntur, velut quod in proximis habes (342) *ἔναντα.* Sed fortasse verborum transpositione locus sanandus *νὴ Δί᾽ αὐτὸ τοῦτο κἄμ᾽ ἔδρασεν.*

Vs. 327.

πρῶτος ὤν· ὁ δ᾽ Ἱπποδάμου λείβεται θεώμενος.

Haec constans est huius nominis scriptura, quae cum h. l. metro adversari videretur, Hermannus aliique *Ἱπποδάμνου* scribendum esse coniecerunt. Non credo concessum fuisse Aristophani, ut legitimae et ab omnibus usur-

patae nominis formae aliam arbitrarie sufficeret. Cuius rei etsi plurima a grammaticis exempla collecta sunt, vix tamen in celebri nomine, quale Hippodami fuit, id florentis atticismi temporibus factum esse demonstrari potest. Ac quid impedit quominus Hippodami nomen ex *δῆμος* compositum esse statuatur? Doricarum nominum formarum non rara sunt apud Athenienses exempla.

Vs. 347.

εἴ που δικίδιον εἶπας εὖ κατὰ ξένου μετοίκου.

Permirum semper mihi visum est *ξένον μέτοικον* sic a poeta coniuncta esse, quasi non omnes *μέτοικοι* peregrini fuissent. Fortasse *κατ' ἀξένου μετοίκου* scribendum est, i. e. qui hospitem non habet, eius causam defendentem et ab iniuriis sycophantarum vindicantem. Praeferrem tamen *κατὰ ξένου ἢ μετοίκου*, modo certum huius crasios exemplum haberem.

Vs. 407.

τὸν Ἰουλίου τ' ἂν οἴομαι γέροντα πυροπίπην.

Insolens et sine exemplo apud veteres Graecos Iulii nomen est, quod cum olim ad Com. gr. fragm. V. p. 29. a vitii suspicione defendissem, nunc *Βουλίου* scripsi. *πυροπίπην* an *πυρροπίπην* scribendum sit dubium videri potest, illud Rav., alterum reliqui ut videtur omnes habent; *παιδοπίπην*, quod scholiasta in suo libro invenerat, nil esse videtur quam interpretatio vocis *πυρροπίπην*, i. e. *flavorum puerorum spectatorem.* Hoc nunc non dubito quin verum sit, optimeque convenit cum *γέροντα*, quod iners est et flaccescit, si *πυροπίπην* scribitur.

Vs. 417.

κυνὸς βορὰν σιτούμενος μαχεῖ σὺ κυνοκεφάλλῳ;

Ita Dindorfius, libri *κυνοκεφάλῳ*, in quo nomine quamvis duplex *λλ* disertim a Phrynicho et Photio atticum dicatur, magnas tamen haec res habet dubitationes. Non nunc disputabo de aliis huius scripturae exemplis, in

Aristophanis autem loco fortasse *μαχεῖ κυνοκεφάλῳ σύ* vel *κυνοκεφάλῳ μαχεῖ σύ* scribendum est, de quo admonui olim Curis criticis in Comicorum fragm. p. 54.

Vs. 496.

δάκνειν διαβάλλειν τοὺς λόφους κατεσθίειν.

Non recte, opinor, dicit *κατεσθίειν*, non enim ut devoraret cristas monere volebat isiciarium, sed ut roderet. Itaque *ἀπεσθίειν* vel *παρεσθίειν* scribendum videtur, ut in sequentibus est *ἀποφαγεῖν τὰ κάλλαια.*

Vs. 503.

ὑμεῖς δ' ἡμῖν πρόσχετε τὸν νοῦν
τοῖς ἀναπαίστοις,
ὦ παντοίας ἤδη μούσης
πειραθέντες καθ' ἑαυτούς.

Verissime Hermannus nullum hic locum esse dimetris intellexit; quod enim praemitti solet parabasi commatium absolutum est vs. 502. Itaque priora illa *ὑμεῖς* — *ἀναπαίστοις* ad unum tetrametrum contrahenda esse docuit, quem ita scripsit:

ὑμεῖς δ' ἡμῖν πρόσχετε τὸν νοῦν καὶ τοῖς ἡμῶν ἀναπαίστοις.

Hermannum secutus est Hirschigius locum ita refingens:

ὑμεῖς δὲ τέως πρόσχετε τὸν νοῦν τοῖς ἡμετέροις ἀναπαίστοις,

quae iusto liberior est interpolatio. In Hermanniana autem coniectura non placet *ἡμῖν καὶ τοῖς ἡμῶν ἀναπαίστοις.* Vero similiorem emendationem mihi reperisse videor hanc, ut cum plures codices ante *τοῖς* inferant particulam *καί*, eam ex *χαίροντες* superesse statuam. Itaque locum ita scripsi:

ὑμεῖς δ' ἡμῖν πρόσχετε τὸν νοῦν χαίροντες τοῖς ἀναπαίστοις.

Qui his subiciuntur versus eorum perobscura est sententia, non melior et dilucidior futura, si quis cum viro docto in Mnemos. I. p. 416. *καθ' ἑαυτοὺς* in *καθ' ἑορτὰς* refingat.

Versus ille omnes habet interpolatricis manus notas, estque ex eodem emblematum genere, cuius permulta sunt in Aristophanis fabulis exempla. Eam ob causam non dubitavi eum in marginem relegare, ut iam Hermannus suaserat.

Vs. 526.

εἶτα Κρατίνου μεμνημένος, ὃς πολλῷ ῥεύσας ποτ' ἐπαίνῳ διὰ τῶν ἀφελῶν πεδίων ἔρρει.

Locus pessime habitus ab imperitis correctoribus, qui et barbaram aoristi formam intulerunt et poetam elegantissimum misere balbutire fecerunt. Quis enim sanus homo dicet *magna laude fluens per campos fluebat?* Virorum doctorum coniecturis, quorum alii *βρίσας* alii *πρέψας* tentaverunt, nihil profici apertum est. *Βρίθειν ἐπαίνῳ* graece dici non potest; hactenus praestaret quod Kockius invenit *πρέψας ποτ' ἐπαίνῳ.* Omnino autem laudem ab hoc loco alienam puto, requiroque aliquid quo torrentis imago indicetur. Itaque locum iam antiquitus corruptum ita a poeta scriptum fuisse suspicor:

εἶτα Κρατίνου μεμνημένος, ὃς ῥεύματι πολλῷ ποτ' ἀείνως διὰ τῶν ἀφελῶν πεδίων ἔρρει.

Causa corruptelae inde repetenda videtur, quod in codice archetypo inverso verborum ordine legebatur *πολλῷ ῥεύματι,* quod corrector metro accommodaturus pro *ῥεύματι* suum illud *ῥεύσας* infersit, quo illato cum substantivum desideraret, suo periculo *ἀείνως* refingebat in *ἐπαίνῳ.* Quod altero versu legitur *ἀφελῶν,* melius non tangere; *φελλέων,* quod nescio nunc quis coniecit neque adiective dici neque duabus syllabis efferri potest; ad sententiam probum esset *μεγάλων,* per vasta camporum spatia. Sed vulgatum tenet Gramm. Bekkeri p. 469, 32.

Vs. 536.

καὶ μὴ ληρεῖν, ἀλλὰ θεᾶσθαι λιπαρὸν παρὰ τῷ Διονύσῳ.

Dignum ait esse Cratinum propter scenicas victorias qui in prytaneo bibat, neque nugas agat sed spectaculis

intersit. In his desidero iustum sententiarum nexum; ne nugas ageret poeta olim celeberrimus in populi Atheniensium potestate non situm erat; itaque *ληρεῖν* hoc loco minus commode dictum videtur. Scribendum opinor *καὶ μάκληρεῖν*, neque miseram et inopem vitam ducere, sed nitidum et bene coenatum ludis interesse. *ληρεῖν* ex vs. 531. huc translatum esse videtur.

Vs. 539.

ἀπὸ κραμβοτάτου στόματος μάττειν ἀστειοτάτας ἐπινοίας.

Eleganti coniectura Kiehlius Mnemos. I. p. 49. refinxit *κραμβοφάγου*. Editam tamen scripturam tuetur glossa Hesychii *Κραμβότατον· καπνρώτατον*, quae ad hunc ipsum locum Aristophanis referenda est. Itaque *στόμα κραμβὸν* non diversum est a *στόμα καπυρὸν* apud Theocritum VII, 37. *καὶ γὰρ ἐγὼ καπυρὸν Μοισᾶν στόμα.*

Vs. 546.

αἴρεσθ᾽ αὐτῷ πολὺ τὸ ῥόθιον, παραπέμψατ᾽ ἐφ᾽ ἕνδεκα κώπαις.

Quid sit quod undenis remis poetam chorus prosequi iubeat nondum explicatum a quoquam vidi, neque ego me intelligere fateor; intelligerem si *ἐννέα* scripsisset poeta, eo enim numero passim ad multitudinem indicandam utuntur Graeci.*) Idem Hesiodi usus est aliorumque scriptorum, ex quibus pauca de multis delibavit Lobeckius Path. I. p. 212. Praeterea in Aristophanis loco dubitationem mihi inicit oratio asyndeta, qua non uti so-

*) Eustathius ad Il. p. 180, 17. *προσπαθῶς ἔχει ὁ ποιητὴς τῷ ἐννέα ἀριθμῷ διά τε ἄλλας αἰτίας, ὡς λέγουσιν οἱ παλαιοί, οἷον καὶ ὅτι τετράγωνός ἐστι καὶ τέλειος, ἐκ τελείου τοῦ τρία γινόμενος πολυπλασιασθέντος εἰς ἑαυτόν, ἀλλὰ καὶ διὰ τὰς Μούσας — οἱ δ᾽ αὐτοὶ καὶ ὡς περισσάκις περισσὸν τὸν ἐννέα σεμνύνουσιν ἀριθμόν, εἰς τρεῖς διαιρούμενον τριάδας, ὧν ἑκάστη πάλιν τριὰς εἰς μονάδας τρεῖς.*

let poeta nisi in sermone concitato, veluti *ἄρθητε φάνητε, φράσον δίδαξον, χώρει κάθες* etc. Neque *ἐπὶ* satis intelligo. Quare scribendum esse suspicor *παραπέμψατέ θ' ἕνδεκα κώπαις*, sive malis *παραπέμψατέ τ' ἐννέα κώπαις*.

Vs. 600.

πριάμενοι κώθωνας, οἱ δὲ καὶ σκόροδα καὶ κρόμμυα.

Optimi libri et consentiens cum his Athenaeus XI. p. 483. e. *καὶ* ante *σκόροδα* omittunt; vitium igitur potius in sequentibus verbis latet, prorsusque assentior Bergkio scribenti *οἱ δὲ σκόροδ' ἐλάας κρόμμυα.* Quod plane confirmat ipse Aristophanes Acharn. 550. *σκοροδόδων ἐλαῶν κρομμύων*, ubi item de commeatu maritimae expeditionis agitur.

Vs. 698.

οὔ τοι μὰ τὴν Δήμητρ' ἐὰν μή σ' ἐκφάγω
ἐκ τῆσδε τῆς γῆς, οὐδέποτε βιώσομαι.

Rav. *Δήμητρά γ' εἰ μή σ'*. Atque *εἰ* necessarium est propter responsum Agoracriti *εἰ μὴ 'κφάγῃς*. At *γε* post *Δήμητρα* usui repugnat, ut satis nunc constat; quare scripsi *Δήμητρ' ἔτ', εἰ μή σ' ἐκφάγω*, in quo *ἔτι* etiam ad sensum necessarium est, *nequaquam amplius vivam*. In Agoracriti responso *εἰ μὴ 'κφάγῃς* iure Bergkius requirit pronomen; scripsit igitur *εἰ μὴ 'κφάγῃς μ'*. Fortasse tamen praestat *ἔμ' ἐκφάγῃς*; eadem structura, qua usus est Aristophanes Av. 1691. ubi Herculi dicenti *βούλεσθε — ὀπτῶ τὰ κρέα ταυτὶ μένων* Neptunus regerit *ὀπτᾷς τὰ κρέα;*

Vs. 706.

ὡς ὀξύθυμος· φέρε τί σοι δῶ καταφαγεῖν;
ἐπὶ τῷ φάγοις ἥδιστ' ἄν; ἐπὶ βαλλαντίῳ;

Sine causa Halbertsma *ὡς ὀξυθυμεῖ*. Cfr. Pac. 257. *ὡς δριμύς*. Alterum versum corruptum esse primus quod sciam Kockius intellexit, at quod idem coniecit *ἐπὶ τῷ*

φαγὼν ἥδοι' ἂν paullo longius a librorum scriptura recedit. Bergkius malebat *ἐπὶ τῷ φάγοις γήτει' ἄν*. Nisi fallit sententia scripsit poeta: *ἐπὶ τῷ φάγοις ἡσθεὶς ἄν;* i. e. *ἐπὶ τῷ ἡσθεὶς φάγοις ἄν*.

Vs. 742.

ὅτι τῶν στρατηγῶν ὑποδραμὼν τῶν ἐκ Πύλου
πλεύσας ἐκεῖσε τοὺς Λάκωνας ἤγαγον.

Haec meliorum librorum scriptura est. Inconsulto edidi *ὑποδραμόντων ἐκ Πύλου*, nec laudare debebam ficulneam C. F. Hermanni coniecturam *ἀποδραμόντων ἐκ Πύλου*. Scriba cod. B. coniecit *ὅτι τὸν στρατηγὸν ὑποδραμὼν τὸν ἐκ Πύλου*, Niciam sine dubio intelligens. V. Thucyd. IV, 27. sq. Nec male Brunckius *ὅτι τοὺς στρατηγοὺς ὑποδραμὼν* (*supplantans*) *τοὺς ἐν Πύλῳ*, quod si aliquam a libris fidem haberet, reliquis omnibus praeferrem, nisi quod *τῶν στρατηγῶν* servari potest.

Pro *ὅτι* fortasse *ὅ τι* cum interrogatione scribendum est, quod apertum est verbis *εἰπέ μοι τί δρῶν* melius inferri quam quod nunc legitur.

Vs. 751.

ἀλλ' ἐς τὸ πρόσθε. χρῆν παρεῖν' ἐς τὴν πύκνα.

Ita haec distinxi, vulgo omnibus ad unam sententiam coniunctis, ac recte fortasse, sed hac lege ut *ὡς τὸ πρόσθε* scribatur, ut fecit Bergkius. Falluntur enim haud dubie qui *ἐς τὸ πρόσθε* idem significare posse existimant. Quaerendum tamen an unquam apud Aristophanem *ὡς τὸ πρόσθεν* dictum reperiatur pro *ὡς τὸ πρότερον*, eamque ob causam verba ista sic distinxi ut sensus sit, *sed age procedamus*, vorwärts! Morae impatiens haec dicit Demus, quantocius id fieri cupiens. Hoc sensu *ἐς τὸ πρόσθε* Aristophani dicere usitatum est, ut Acharn. 44. *πάριτ' ἐς τὸ πρόσθεν.* 242. *πρόιθ' ἐς τὸ πρόσθεν ὀλίγον ἡ κανηφόρος.* Eccles. 645. *ἐς τὸ πρόσθεν οἴχεται.* Lys. 185. *θὲς ἐς τὸ πρόσθεν ὑπτίαν τὴν ἀσπίδα.* 302. *σπεῦδε πρόσθεν ἐς πόλιν καὶ βοήθει τῇ θεῷ.*

Vs. 811.

πρὸς Ἀθηναίους καὶ τὸν δῆμον.

Nescio an sine idonea causa Halbertsma haec ita constitui voluerit *πρὸς τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων.* Cf. Equit. 803. *ὑπὸ τοῦ πολέμου καὶ τῆς ὁμίχλης.* 1310. *ἐκ πεύκης καὶ ξύλων.* Plut. 334. *τῇ βαδίσει καὶ τῷ τάχει,* i. e. *τῆς βαδίσεως τῷ τάχει.* Fortasse etiam Pac. 770. *κἀπὶ τραπέζῃ καὶ συμποσίοις,* ubi vide tamen quae annotavi.

Vs. 812.

ὁτιή σε φιλῶ; ΔΗ. παῦ παῦ' οὗτος καὶ μὴ σκέρβολλε πονηρά.

Ita Elmsleium secutus scripsi praeeunte Dindorfio; codicum scriptura est *παῦ οὑτοσί.* Elmsleius Photium p. 403, 4. antestatur: *Παῦ· τὸ παῦσαι λέγουσι μονοσυλλάβως.* Nimirum in locis, ubi ultima eliditur. Aristophanis locum aliam sibi medelam poscere mihi certissimum videtur. Lenissima eius emendandi ratio fuerit *παῦ' ὦ οὗτος.*

Vs. 872.

ζεῦγος πριάμενος ἐμβάδοιν τουτὶ φορεῖν δίδωμι.

Sic constanter Attici *ζεῦγος* cum duali coniungunt. Vitiose legitur in Aristophanis fragmento apud Ammonium p. 149. *ἢ βοιδαρίων τις ἀπέκτεινε ζεῦγος χολίκων ἐπιθυμῶν,* et in fragmento Alcaei comici vol. II. p. 828. *πωλικὸν ζεῦγος βοῶν.* Corrige *βοιδαρίοιν* et *βοοῖν.*

Vs. 891.

προσαμφιῶ τοδί· σὺ δ' οἴμωζ' ὦ πονήρ'. ΔΗΜ. ἰαιβοῖ.
οὐκ ἐς κόρακας ἀποφθερεῖ βύρσης κάκιστον ὄζων;

Ita haec edidit Dindorfius; libri *ὦ πόνηρε αἰβοῖ,* nisi quod Rav. *ὦ πονήρ'* habet, quae quamquam solerter emendata sunt, fortasse tamen scripserat poeta:

προσαμφιῶ τοδί· σὺ δ' οἴμωζ' ὦ πόνῳ πονηρέ.
ΔΗΜ. αἰβοῖ,
οὐκ ἐς κόρακας ἀποφθερεῖ βύρσης κάκιστον ὄζων;

Vs. 938.

καὶ σὺ τὸ τάλαντον λαβεῖν
βουλόμενος ἐσθίων ἀποπνιγείης.

Metro consulturi Elmsleius *ἐπαποπνιγείης*, Bergkius *ἐναποπνιγείης* coniecerant, quorum alterum non credo defendi posse. Neque Elmsleianum illud recte dictum puto, cui sustentando quod Dindorfius attulit ex vs. 701. *ἐκροφήσας αὐτὸς ἐπιδιαρραγῶ*, ei noster locus ita demum similis esset, si participium aoristi legereter *ἐμφαγών*. Etenim dum quis edit, non sane post esum suffocari dici potest. Scripsi igitur *ἐσθίων ἅμ᾽ ἀποπνιγείης*, in quo *ἅμα* notissimo dicendi genere cum *ἐσθίων* coniungendum *inter edendum*. In Eccles. 85. rectissime Dobraeus restituit *τί γὰρ ἂν χεῖρον ἀκροῴμην ἅμα ξαίνουσα.*

Vs. 942.

κἀμοὶ δοκεῖ καὶ τἄλλα γ᾽ εἶναι καταφανῶς
ἀγαθὸς πολίτης.

Ad haec si praecedentia compares, orationem non bene iunctam senties. Impense laudaverat chorus isiciarii orationem, cui non inferri potuit, *mihi quoque etiam in aliis praeclarus vir videtur*, sed hoc potius, *mihi quoque optime dixisse videtur, et vero etiam in ceteris rebus bonus civis videtur.* Quare conicio:

κἀμοὶ δοκεῖ. καὶ τἄλλα γ᾽ ἐστὶ καταφανῶς —

ἐστὶ et *εἶναι* quam facile inter se permutentur in codicibus, notissimum est. Praeterea fortasse non iniuria offendo in *καταφανῶς*, pro quo Aristophaneus dicendi usus *περιφανῶς* scribi postulat. Quod olim Vesp. 831. legebatur *κατεφαίνετο*, nunc cessit optimorum librorum scripturae *ἐφαίνετο.*

Vs. 968.

ἁλουργίδα
ἔχων κατάπαστον καὶ στεφάνην ἐφ᾽ ἅρματος
χρυσοῦ διώξει Σμικύθην καὶ κύριον.

Scribendum esse suspicor *στέφανον*, qua forma quum

plus quam triginta locis usus sit Aristophanes, vix credibile est eum semel femininum adhibuisse; neque alium scriptorem Atticum *στεφάνην* dicere memini pro *στέφανος*, quae ita differunt, ut *στεφάνη* de muliebri ornatu, masculinum de quovis serto dicatur. Serioris aetatis scriptores haec passim confundunt. Itaque nisi in Aristophanis loco incomprehensa mihi ambiguitas inest, malim utique, ut dixi, hic etiam reponi formam masculinam. In ambiguo ludit poeta Eccles. 1034. ubi vetulae dicenti *ἦ μὴν ἔτ' ὠνήσει σὺ καὶ στεφάνην ἐμοί,* adolescentulus respondet *νὴ τὸν Δί' ἥνπερ ᾖ γέ που τῶν κηρίνων,* quasi *στέφανος*, *mortuorum corolla,* praecessisset, qui *κήρινοι* dicuntur etiam Artemidoro Onirocr. I, 77.

Vs. 972.

ΠΑ. ἰδού. ΑΛΛ. ἰδοὺ νὴ τὸν Δί'· οὐδὲν κωλύει.

Isiciarius se oracula allaturum esse dixerat. Idem a Paphlagone petit Demus: *καὶ σύ νυν* (leg. *σὺ νῦν*) *φέρε.* Ad quae recte sane Paphlago respondet *ἰδού,* atqui isiciarius, qui iam supra se paratum esse dixerat, illa loqui non potuit quae ex vulgata verborum coniunctione loquitur. Itaque totum versum tribuendum suspicor Paphlagoni leni mutatione sic scriptum:

ἰδού γ' ἰδού, νὴ τὸν Δί'· οὐδὲν κωλύει.

Quae ille certus victoriae et prae gaudio triumphans exclamat, simul cum isiciario se proripiens. De *ἰδού γ' ἰδού* v. Nub. 818.

Vs. 1036.

ὦ τᾶν ἄκουσον, εἶτα διάκρινον τότε.

Praeter solitum illud *τότε* subiectum est particulae *εἶτα,* nec dubium mihi quin corruptela lateat. Incerta vero loci medela est; fortasse tamen non displicebit *ὦ τᾶν ἄκουσον εἶτα διάκρινον τόδε,* ut *τόδε* ab *ἄκουσον* suspensum sit. Alius generis est *εἶτα μετὰ ταῦτα.*

Vs. 1131.

χοὔτω μὲν ἂν εὖ ποιοῖς,
εἴ σοι πυκνότης ἔνεστ'
ἐν τῷ τρόπῳ, ὡς λέγεις,
τούτῳ πάνυ πολλή,
εἰ τούσδ' ἐπίτηδες οὕ-
τω δημοσίους τρέφεις.

Si recte memini, nullum praeter hoc exemplum optativi contracti ποιοῖς apud Aristophanem reperitur. Offensionem item habet duplex εἰ. Itaque scribendum suspicor:

χοὔτω μὲν ἄρ' εὖ ποιεῖς·
ἦ σοι πυκνότης ἔνεστ' —

reprobata quam in adnotatione critica proposui coniectura. Praeterea nescio an ᾧ λέγεις scribendum sit.

Vs. 1181.

ἡ γοργολόφα σ' ἐκέλευσε τουτουὶ φαγεῖν
ἐλατῆρος, ἵνα τὰς ναῦς ἐλαύνωμεν καλῶς.

Minerva γοργολόφα appellatur, non quod Gorgonem in crista gerens repraesentata erat; qui enim id fieri possit? sed quod terribilem (γοργὸν) in casside λόφον gestabat. Plane sic Lamachus in Acharn. 568. dicitur γοργολόφης. Commode conferri potest Il. VI, 469. ubi de Astyanacte Hectoris cristam conspicante dicitur:

ταρβήσας χαλκόν τε ἰδὲ λόφον ἱππιοχαίτην,
δεινὸν ἀπ' ἀκροτάτης κόρυθος νεύοντα νοήσας.

Attuli haec propter Nauckium Bulletin de l'Acad. de St. Pétersb. vol. VI. p. 51. utrumque Aristophanis locum in vitii suspicionem vocantem. Nec magis tentari debebat Aristophanes Acharn. 1142. γοργόνωτον ἀσπίδος κύκλον, quod sive ad γοργὸς sive ad Γοργόνα, quam Lamachus in scuto effictam habebat, referas, utrumque rectissime dictum est. Similiter Sophocles dixit ἡνίαν χρυσόνωτον de freno in externa parte aureis laminis obducto.

Vs. 1230.

φράζων ὑφ᾽ οὗ δεήσει μ᾽ ἡττᾶσθαι μόνου.

Sic libri, nisi quod pro *δεήσει μ᾽* A et Δ habent *δεήσειν*. Locus hic foede interpolatus est. Non sufficere ac ne graece quidem dictum esse quod Bentleius coniecit *ὑφ᾽ οὗ ᾽δέησέ μ᾽*, indicavi in annotatione critica. Dindorfius *με χρή ᾽στιν*, Bergkius *δεήσειέ μ᾽* scripserunt, at neque *χρή ᾽στι* recte dictum videtur (non enim nisi *χρῆσται* in futuro dicitur), et *δεήσει* bisyllabum sine certo exemplo est. Ipse conieceram *ὑφ᾽ οὗ δῆτ᾽ ἔστι μ᾽*. Sed altius haud dubie ulcus latet. Itaque licebit Dindorfii invento sic uti, ut poetam scripsisse suspicemur, *φράζων ὑφ᾽ οὗ χρῆσταί με νικᾶσθαι μόνου*, idque verum puto.

Vs. 1262.

ἰδεῖν ἄμεινω ᾽ν τῇ Κεχηναίων πόλει.

Praepositionem adieci estque ea necessaria ad loci sententiam, non enim de utilitate quam ille civitati allaturus est agitur, sed de benevolo in Demum animo. Ac video *ἐν* etiam Hirschigium addidisse. Pertinere videtur ad h. l. glossa Hesychii *Ἐκελαοί· οἱ Ἀττικοί*, ita fortasse sananda, *Κεχηναῖοι· οἱ Ἀττικοί.**) Alias Hesychii glossas item ad hanc fabulam referendas nunc sciens praetereo. Commemorabo tamen ex vicinia vs. 1266. *μηδὲ Θαύμαντιν τὸν ἀνέστιον αὖ λυπεῖν ἑκούσῃ καρδίᾳ.* Ex hoc loco ductae sunt glossae misere depravatae *Ἀνεσθίων· μηκέτι ἐσθιόμενον*, et *Ἀναιέστιον· μηκέτι ἐσθιόμενον.* Quae ita emendanda sunt *Ἀνέστιον· μηκέτι ἑστιώμενον.* eaque interpretatio optime Aristophanis loco respondet, minime vero Demonici fragmento admoveri potest apud Athenaeum IX, 410. d. *ἐσπουδάκει δ᾽ ἕκαστος ὡς ἂν ἐσθίων ἅμα τ᾽ ὀξύπεινον ἄνδρα καὶ Βοιώτιον*, ubi dubitari non potest quin recte Casaubonus *ὡς ἂν ἑστιῶν* correxerit. Cfr. Philol. Gott. XV. p. 345.

---

*) Nisi Echelidarum, qui Atticus populus fuit, memoria latet.

Vs. 1295.

φασὶ μὲν γὰρ αὐτὸν ἐρεπτόμενον τὰ τῶν ἐχόντων
ἀνέρων.

Divites homines dici *οἱ ἔχοντες* pervulgatum est, at *ἄνδρες ἔχοντες* qui dixerit scio neminem. Quare vereor ne *ἀνέρων* metrici sit supplementum, postquam genuinum vocabulum exciderat.

Vs. 1303. pro *Καρχηδόνα* scribendum haud dubie cum Casaubono *Καλχηδόνα* sive malis *Χαλκηδόνα*. Vide Boeckhium Staatshaushaltung der Athener vol. I. p. 402.

Vs. 1311.

ἢν δ' ἀρέσκῃ ταῦτ' Ἀθηναίοις, καθῆσθαί μοι δοκῶ
ἐς τὸ Θησεῖον πλεούσας ἢ 'πὶ τῶν σεμνῶν θεῶν.

Verba *καθῆσθαί μοι δοκῶ* non video quid aliud significare possint quam *videor mihi sedere,* quod cum alienum ab h. l. esset, Dawesio praeeunte scripsi *καθῆσθ' ἄν μοι δοκῶ, constitui sedere.* Vereor tamen ut ne hoc quidem graece dictum sit, certe non memini *δοκῶ* aliter quam cum futuro, aut cum aoristo addita particula *ἄν* coniunctum reperiri. Itaque *καθῆσθαί μοι δοκεῖ* scribendum, ut voluit Bentleius.

Vs. 1335.

ὦ φίλτατ' ἀνδρῶν ἐλθὲ δεῦρ' Ἀγοράκριτε,
ὅσα με δέδρακας ἀγάθ' ἀφεψήσας. ΑΓΟΡ. ἐγώ;
ἀλλ' ὦ μέλ' οὐκ οἶσθ' οἷος ἦσθ' αὐτὸς πάρος.

Inepte Agoracritum ad Demi verba respondere *ἐγώ;* dudum intellectum est a criticis. Atque Hermannus pro eo *ἔσω* scribi voluit, id ut cum *ἀφεψήσας* coniungatur; sed ut omittam hanc huius voculae formam non usitatam esse poetis comicis, qui constanter *εἴσω* dicunt, nimium quantum languet illud *ἔσω.* Alia Bergkius tentavit, velut *ἀφεψήσας νέον,* non multum tamen huic coniecturae tribuens. Meo iudicio nihil novandum est, sed *ἀφεψήσας* cum Agoracriti oratione coniungendum:

ὅσα με δέδρακας ἀγάθ'. ΑΓ. ἀφεψήσας σ' ἐγώ.

nisi praeferas haec per interrogationem efferre, *ἀφεψήσας σ' ἐγώ; an quod te recoxi?*

Vs. 1346.

τί φῄς;
ταυτί μ' ἔδρων, ἐγὼ δὲ τοῦτ' οὐκ ᾐσθόμην;

Non contradicam Dindorfio, qui haec ita edidit ut *τί φῄς* extra versum positum sit. at mirum tamen *ᾐσθόμην* in paucis tantum iisque pessimis libris scriptum reperiri, in reliquis autem et optimis *RVΓΔΘ* pro eo legi *ᾔδειν*, quod indicio esse videtur poetam scripsisse:

ταυτί μ' ἔδρων, ἐγὼ δέ γ' οὐκ ᾔδη; τί φῄς;

Vs. 1350.

ὃ μὲν ποιεῖσθαι ναῦς μακράς, ὁ δ' ἕτερος αὖ
καταμισθοφορῆσαι τοῦθ', ὁ τὸν μισθὸν λέγων —

Non intelligitur quo pacto *τοῦτο* in versu altero commode explicari possit; quod enim Dindorfius voluit *τοῦτο* pecuniam dici navibus impendendam, id quo iure dixerit ignorare me fateor. Adde quod *τοῦθ'* non nisi in cod. *A.* repertum est, in *B.* autem superscribitur. In *Γ.* et *Δ.* *τοῦτο θ'* scriptum est, in Rav. denique *τούτων*. Hoc mihi indicio esse videbatur pro *καταμισθοφορῆσαι* restituendum esse *καταμισθοφορεῖν*, quod etiam melius post *ποιεῖσθαι* infertur quam aoristus, quamquam hanc legem passim neglexerunt poetae. Itaque scribere non dubitavi *καταμισθοφορεῖν, τούτοιν ὁ τὸν μισθὸν λέγων* — Frequenti errore aoristi et praesentis infinitivos inter se permisceri neminem fugit.

Vs. 1373.

Δ. οὐδ' ἀγοράσει γ' ἀγένειος οὐδεὶς ἐν ἀγορᾷ.
Α. ποῦ δῆτα Κλεισθένης ἀγοράσει καὶ Στράτων;
Δ. τὰ μειράκια ταυτὶ λέγω τἀν τῷ μύρῳ,
ἃ στωμυλεῖται τοιαδὶ καθήμενα.

Vides opinor Demum ad ea, quae Agoracritus ex eo sciscitatus erat, ita respondere, ut Clisthenem et Stratonem ex imberbium numero excipere videatur, quod cum pror-

sus contra mentem poetae sit, aut excidisse aliquid suspicor, aut scribendum esse:

ὅπου τὰ μειράκια, λέγω τὰν τῷ μύρῳ —

Nimirum *ὅπου* propter praecedentis versus initium per negligentiam librarii exciderat; postea extitit qui numerorum explendorum causa adderet *ταυτί*. Pro *οὐδεὶς ἐν ἀγορᾷ*, quae vulgata versus scriptura est, fortasse sine idonea causa Hermanni emendatio *οὐδ' ἐν τἀγορᾷ* a me recepta est. Rav. *ἐν τ' ἀγορᾶι οὐδείς*, alii codd. *οὐδεὶς ἐν τἀγορᾷ*. Verbum *ἀγοράζειν*, ut sequentia ostendunt, hic non in foro versandi, sed concionandi notionem habet, alioqui *ἐν ἀγορᾷ* inutile additamentum esset, quae res movit Velsenum, ut *οὐδεὶς ἐν πόλει* scribendum putaret. V. Museum Rhen. XVIII. p. 125.

Vs. 1378.

συνερτικὸς γάρ ἐστι καὶ περαντικός
καὶ γνωμοτυπικὸς καὶ σαφὴς καὶ κρουστικός.

De Phaeace oratore haec dicuntur, in quibus *σαφὴς* vitii manifestum est; requiro adiectivum ambiguae potestatis, ex quo genere, praeter *γνωμοτυπικός*, reliqua sunt omnia, quae his duobus versibus leguntur, quippe ad rhetoricam artem non minus quam ad veneream palaestram spectantia. Hinc *συναφὴς* a poeta scriptum fuisse suspicor. Pro *γνωμοτυπικός* autem ob eam quam dixi causam malim *γλωττοτυπικός*, quod pariter de homine impudici oris ac de argutulo oratore dici potuit.

Vs. 1400.

μεθύων τε ταῖς πόρναισι λοιδορήσεται.

Malim *ταῖς πόρναις διαλοιδορήσεται*, ut mutua inter Paphlagonem et scorta altercatio intelligatur; commendat hoc vs. 1403. *πόρναισι διακεκραγέναι*. Neque integre scripta videntur, quae paucis versibus interiectis leguntur, *εἰς τὴν ἕδραν, ἵν' ἐκεῖνος ἦν ὁ φαρμακός*, in quibus offendit dictio *ἐν ἕδρᾳ εἶναι*, pro *ἐν ἕδρᾳ ἦσθαι*. Scribendum videtur *ἵν' ἐκεῖνος ἧσθ' ὁ φαρμακός*, ut loquitur poeta Ran. 778. aliisque locis.

NUBES.

Vs. 28.

πόσους δρόμους ἐλᾷ τὰ πολεμιστήρια;

Non opus est ut scribatur ἐλᾷς, neque vero, ut Kockius voluit, ἐλᾷ ad Philonem referendum est. Novum hoc Phidippidis somnium est, non continuatio superioris, sensusque simplicissimus hic est: quot gyros agitabunt, sive quot cursibus decertabunt utriusque nostrum quadrigae? Ad πολεμιστήρια utrum ἅρματα an ἀγωνίσματα suppleas perinde est, malim tamen ἅρματα propter ἐλᾷ.

Vs. 75.

νῦν οὖν ὅλην τὴν νύκτα φροντίζων ὁδοῦ,
μίαν εὗρον ἀτραπὸν δαιμονίως ὑπερφυᾶ.

Recte, opinor, Hermannus eorum opinionem reiecit, qui ὁδοῦ cum ἀτραπὸν coniungi voluerunt, nec vero quam ipse sequitur interpretatio satis commode procedit. Quae enim est illa via, quam Strepsiades totam per noctem se circumspexisse dicit? eam dices, quam secuto ex his miseriis emergere detur. Atqui id diserte adici debebat; quod vero nunc legitur, non rectius dictum est quam si germanice dicas, ich suchte die ganze Nacht einen Weg, pro eo quod sana ratio dici postulat einen Ausweg. Hanc ob causam suspicabar aut excidisse post ὁδοῦ versum, cuius haec fuerit sententia ᾗν ἂν τραπόμενος ἐκκυλισθείην κακοῦ, aut scripsisse poetam:

νῦν οὖν ὅλην τὴν νύκτα φροντίζων, ἰδού
μίαν εὗρον ἀτραπὸν δαιμονίως ὑπερφυᾶ.

Vs. 100.

οὐκ οἶδ' ἀκριβῶς τοὔνομα,
μεριμνοφροντισταὶ καλοί τε κἀγαθοί.

Suo periculo in unum coniunxit Strepsiades quae infra v. 951. poeta distinctim enuntiavit *πισύνω — φροντίσι καὶ μερίμναις*. Nec mirum, siquidem ipse fatetur, se nomen illorum homuncionum non accurate meminisse. Sunt igitur *μεριμνοφροντισταί* non *οἳ περὶ μεριμνῶν φροντίζουσι*, sed *μεριμνηταὶ καὶ φροντισταί*, ut e. c. *βροντησικέραυνος* Iuppiter est tonitrua et fulgura mittens. Nihil igitur causae video, cur *μετεωροσοφισταί* scribatur cum Nauckio Bulletin de l'Académie de St. Pétersb. VI, 54.

Vs. 119.

οὐκ ἂν πιθοίμην· οὐ γὰρ ἂν τλαίην ἰδεῖν
τοὺς ἱππέας τὸ χρῶμα διακεκναισμένος.

Postremam vocem scholiastae explicant *ἠμαυρωμένος, διεφθαρμένος*, nescio quo iure; *διακναίω*, quod latino *macerare* respondet, non dici potest de colore, potest vero de corpore dici, ut fere *τὸν χρῶτα διακεκναισμένος* legendum esse suspicer, quod aliquanto plus est quam quod edita scriptura indicat, et omnia illa mala complectitur, quae infra vs. 1017—19. iustus orator enumerat. Praeterea nescio an scribendum sit *οὐ γὰρ ἂν τλαίην μ' ἰδεῖν — διακεκναισμένον*. Ita omnes in omnibus linguis loquuntur, neque ulla causa exputari potest, cur a communi cogitandi et dicendi norma scriptor desciverit.

Vs. 250.

ΣΩ. βούλει τὰ θεῖα πράγματ' εἰδέναι σαφῶς
ἅττ' ἐστὶν ὀρθῶς. ΣΤ. νὴ Δί', εἴπερ ἔστι γε.

Mirum est *ὀρθῶς*, quod cum *ἐστὶν* profecto coniungi non potest, nemini criticorum praeterquam Herwerdeno offensioni fuisse; at quod ille conicit *ὄντως*, non credibile est a poeta scriptum fuisse. Genuinum sine dubio est:

ΣΩ. βούλει τὰ θεῖα πράγματ' εἰδέναι σαφῶς
ἅττ' ἐστίν; ΣΤ. ὀργῶ, νὴ Δί', εἴπερ ἔστι γε.

Cuius emendationis fideiussorem ipsum habeo Aristophanem Av. 462. ubi choro dicenti λέγε θαρρήσας Pisthetaerus respondet καὶ μὴν ὀργῶ νὴ τὸν Δία. Cf. Ruhnkenium ad Tim. p. 194. Revocant mihi haec in memoriam controversum Aeschyli locum Agam. 216. sic ni coniectura fallit scribendum: παυσανέμου γὰρ θυσίας παρθενίου θ' αἵματος ὀργᾷ περιοργῶς θέμις, eiecto quod genuinam vocem expulit glossemate ἐπιθυμεῖ. Intelligitur hoc e glossa Hesychii Ὀργᾷ· ἐπιτεταμένως ἐπιθυμεῖ.

Vs. 337.

εἶτ' ἀερίους διεροὺς γαμψοὺς οἰωνοὺς ἀερονηχεῖς.

Non ferendum putavi aves istas in uno eodemque commate dici ἀερίους et ἀερονηχεῖς. Itaque pro ἀερίους scribendum censeo αἰθερίους, aut αἰθερονηχεῖς pro ἀερονηχεῖς.

Vs. 450.

στρόφις, ἀργαλέος, ματτυολοιχός.

Sic e Bentleii emendatione editum est pro ματιολοιχός. Quid ματτύαν vocaverint Graeci notum est ex Athenaeo XIV. p. 663. multisque novae comoediae auctoribus ab Athenaeo commemoratis; atqui diserto Athenaei testimonio constat, hoc edulii genus Macedonicis demum temporibus Athenis illatum esse. Nec magis de metaphorico huius nominis usu constat. Quae omnia eiusmodi sunt ut de emendationis Bentleianae veritate vehementer dubitare liceat. Itaque si res integra esset, equidem ad veterem quamvis corruptam scripturam redirem, quam etiam Herodianum in suo libro repperisse e scholio ad h. l. intelligitur. Fortasse scripsit poeta κακτυολοιχός, quod de fraudulento machinatore dici potuit.

Vs. 662.

ὁρᾷς ἃ πάσχεις; τήν τε θήλειαν καλεῖς
ἀλεκτρυόνα κατὰ ταὐτὸ καὶ τὸν ἄρρενα.

Vitiatum metrum emendaturi Porsonus ἀλεκτρυῶ, Hermannus autem καὶ ταὐτὸ scribi voluit. Quorum id quod Hermannus voluit, structuram infert poetae atticae elegantiae laude vix commendabilem, quam autem Porsonus probavit et hoc et aliis locis formam contractam, mirum tamen nullum eius alias exemplum reperiri. Eam ob causam ἀλέκτορα restitui, quod verum esse etiam sequentia ostendunt v. 666. ἀλεκτρύαιναν, τὸν δ' ἕτερον ἀλέκτορα. Omnino Graeci poetae ἀλέκτωρ et ἀλυκτρυών nullo plane discrimine dixerunt, potuitque Aristophanes quam supra ἀλεκτρυόνα dixerat, mox metro iubente alteram formam substituere.

Sequente versu dubius haereo, Hermanni probem distinctionem, an hanc πῶς δή, φέρε πῶς; Σ. ἀλέκτρυών, quae a Rav. πῶς non ὅπως praebente maiorem commendationem habet.

Vs. 712.

καὶ τὴν ψυχὴν ἐκπίνουσιν,
καὶ τοὺς ὄρχεις ἐξέλκουσιν.

Vereor ne non recte Ernestus, cui Hermannus assensus est, verba τὴν ψυχὴν ἐκπίνουσιν ad saevitiam foenebrem Corinthiorum rettulerit, allata Hesychii glossa Ψυχορρόφους. τὰς τὴν ψυχὴν ἐκπινούσας. ubi quum nihil de foeneratoribus videam, malim haec de lamiis strigibusve interpretari, infantium sanguinem sugentibus. Ac ne apta quidem foenerariae rei ad Aristophanis locum est commemoratio, cuius hoc consilium fuit, ut Corinthiorum libidines notaret acerbissime, more suo in ambiguo ludens. Quare suspicor, eum scripsisse καὶ τὴν ψωλὴν ἐκπίνουσιν, quo nequissimum masculae Veneris genus indicatur, a perditis Corinthiorum moribus non alienum. Ceterum ψυχὴν vitii suspectum esse etiam vs. 719. ostendere videtur.

Vs. 795.

εἴ σοί τις υἱός ἐστιν ἐκτεθραμμένος,
πέμπειν ἐκεῖνον ἀντὶ σαυτοῦ μανθάνειν.

Non hoc, opinor, Strepsiadae consilium Nubes dederunt, ut mitteret si quem haberet filium adultum, sed si bene educatum; hinc est quod respondet Strepsiades *ἀλλ' ἔστ' ἐμοί γ' υἱὸς καλός τε κἀγαθός.* Quare scribendum videtur *εὖ τεθραμμένος.*

Vs. 803. *ἀλλ' ἐπανάμεινον μ' ὀλίγον εἰσελθὼν* (alii *ἐνταυθοῖ* sive potius *ἐνταυθὶ*) *χρόνον* ex 843. repetitum iure proscripsit Kockius.

Vs. 816.

οὐκ εὖ φρονεῖς, μὰ τὸν Δία τὸν Ὀλύμπιον.

Perinepte Symmachus teste scholiasta ad vs. 818. in *Δία* ultimam produci statuerat. Apertum est scripsisse poetam *μὰ τὸν Δί' οὐ τὸν Ὀλύμπιον,* de quo iam olim admonui, probavitque in novissima editione Kockius. Praetuli hoc Hermanni commento *οὐκ εὖ φρονεῖς τοι, μὰ τὸν Ὀλύμπιον Δία.*

Vs. 846.

φέρ' ἴδω, σὺ τοῦτον τίνα νομίζεις; εἰπέ μοι.

Legebatur *τοῦτο τίνα νομίζεις;* inchoavit loci emendationem Mehlerus Mnem. I. p. 421. corrigens *τίν' ὀνομάζεις;* Rav. *τουτονὶ νομίζεις.* Debebat *τοῦτον τί ὀνομάζεις,* quod verum esse sequentia ostendunt *ταυτηνὶ δὲ τί;* Verissime autem *ὀνομάζεις* restituit Mehlerus.

Vs. 860.

κἀγώ τοί ποτε,
οἶδ', ἑξέτει σοι τραυλίσαντι πιθόμενος —

Male vulgo *οἶδα* cum *πιθόμενος* coniungitur, *memini me tibi quondam obsecutum esse,* quae res quantas turbas excitaverit docet Hermanni ad h. l. annotatio. Clara omnia et perspicua, si *οἶδα* parenthetice illatum statuas; sed rectius fortasse Kockius scripsit *οἶσθ'.*

Vs. 868.

νηπύτιος γάρ ἐστ' ἔτι,
καὶ τῶν κρεμαθρῶν οὐ τρίβων τῶν ἐνθαδί.

Male Porsonus Misc. p. 28. κρεμαστρῶν scribendum coniecit, neque melius Reisigius Coni. p. 102. probante Hermanno producenda ad sermonis tragici exemplum syllaba media in κρεμαθρῶν gravitatem ostendi statuit, quo Socrates de huiusmodi rebus loquatur. Ferri hoc posset, si Euripides aliusve tragicus voce κρεμᾱθρά usus esset. Nunc dubitari non potest, quod etiam vocula ἔτι ostendit, scripsisse poetam:

καὶ τῶν κρεμαθρῶν οὔπω τρίβων τῶν ἐνθαδί.

Sequitur statim Phidippidae versus:

αὐτὸς τρίβων εἴης ἄν, εἰ κρέμαιό γε,

ad quae Socrates:

ἰδού, κρέμαι', ὡς ἠλίθιον ἐφθέγξατο.

Haec Brunckii coniectura est ab omnibus editoribus servata, libris unanimi consensu ἰδοὺ κρέμαιό γ' exhibentibus. Male illi quidem; quum enim hoc agat Socrates ut rusticam verborum κρέμαιό γε pronuntiationem rideat, non potuit profecto hoc ipsum, in quo summa rei versatur, obscurari, quam ob causam etiam Reisigii emendatio repudianda est, ἰδού γε κρέμαι', ὡς ἠ. ἐ. Itaque rectissime legitur ἰδοὺ κρέμαιο. Mirum vero est viros doctos non vidisse vitium latere potius in ἠλίθιον, quod de vasta et inculta verborum pronuntiatione ineptissime dictum esse nemo monitus negabit. Proinde scribendum putavi:

ἰδού, κρέμαιό γ'· ὡς ἴδιον ἐφθέγξατο,

quam singulari modo. Ac nescio an vestigia huius scripturae ostendat unus cod. apud Dobraeum, in quo λίθιον scriptum est.

Vs. 886.

ἐγὼ δ' ἀπέσομαι· τοῦτό νυν μέμνησ' ὅπως
πρὸς πάντα τὰ δίκαι' ἀντιλέγειν δυνήσεται.

Ita haec edidit Hermannus, Rav. aliique libri ἀπέσσομαι habent, quod dubitare noli quin recte emendaverit

Bentleius ἐγὼ δ' ἄπειμι. Nimirum ἀπέσσομαι ex ἀπείσομαι corruptum est, quae glossematica forma est futuri ἄπειμι.

Vs. 925.

ΑΔ. ὤμοι σοφίας — ἧς ἐμνήσθης.

Ferri quidem potest ἐμνήσθης, languidius tamen hoc dictum est, quam ut sic Aristophanem scripsisse credam. Fortasse ἧς ἐμνήθης reponendum.

Vs. 947.

κεντούμενος ὥσπερ ὑπ' ἀνθρηνῶν
ὑπὸ τῶν γνωμῶν ἀπολεῖται.

Alterum ὑπὸ mihi contra usum additum esse videbatur, scribendumque esse suspicabar aut τῶν γνωμιδίων ἀπολεῖται aut τῶν γνωμῶν ἐξαπολεῖται. Sed video nunc servari posse editam scripturam, modo recte verba coniungantur, ὑπὸ τῶν γνωμῶν ἀπολεῖται, ὥσπερ ὑπ' ἀνθρηνῶν κεντούμενος. In sequente versu Büchelerus scribendum coniecit νῦν δείξετόν τοι πισύνω, pro τὼ πισύνω. Rectum esset et Aristophanis dictioni consentaneum νῦν δὴ δείξετον πισύνω, ut Eccles 571. νῦν δὴ δεῖ σε πυκνὴν φρένα καὶ φιλόσοφον ἐγείρειν. Lysistr. 1108. δεῖ δὴ νυνί σε γενέσθαι δεινήν. Equ. 526. νῦν δὴ δεῖ τι λέγειν δεινόν. Thesmoph. 776. νῦν δὴ 'γχειρεῖν ὑμᾶς ἔργῳ πορίμῳ χρή. Et sic constanter, nunquam νῦν τοι.

Vs. 965. 972.

εἶτ' αὖ προμαθεῖν ᾆσμ' ἐδίδασκεν τὼ μηρὼ μὴ ξυνέχοντας.

Fortasse recte Büchelerus correxit ἐδίδασκον, quamquam nec ἐδίδασκεν displicet, scil. ὁ διδάσκαλος, quemadmodum e. c. ἐσάλπιγξε dicitur sc. ὁ σαλπιγκτής. Certius est vs. 975. εἶτ' αὖ πάλιν αὖθις ἀνιστάμενον συμψῆσαι, non corrigendum esse, ut voluit Büchelerus, εἶτ' αὖ κόνιν αὖθις — συμψῆσαι. Ad συμψῆσαι assumendum e sequentibus εἴδωλον ἥβης, *conturbare pudendorum imaginem.*

Accedit quod *κόνις* Atticos ultima brevi dixisse demonstrari non potest.

Vs. 995.

μηδὲν ποιεῖν, ὅ τι τῆς αἰδοῦς μέλλει τἄγαλμ' ἀναπλήσειν.

In huius versus scriptura sequutus sum id, quod sua se simplicitate maxime commendat. Codd. fere *ὅτι μέλλεις* et *ἀναπλάττειν* vel *ἀναπλάσσειν;* illud emendavit Reizius, *ἀναπλήσειν* autem cum vulgatis et Suida praebuit Ven. Recte Hermannus *quicquid pudoris tui decus contaminet.* Nota est haec verbi *πλήθειν* significatio. In Aeschyli fr. 269. *ἐρωδιὸς γὰρ ὑψόθεν ποτώμενος | ὄνθῳ σε πλήξει νηδύος χειλώμασιν,* legendum videtur *ὄνθῳ σε πλήσει νηδύος χυλώμασιν,* non quod Nauckius nuper coniecit *γάρ σ' ὑψόθεν — ὄνθῳ παλάξει.*

Vs. 1007.

μίλακος ὄζων καὶ ἀπραγμοσύνης καὶ λεύκης φυλλοβολούσης.

Merito advertit Kockium populo arbori epitheton inditum esse, quod eodem iure omnibus aliis arboribus tribui potest; itaque in hanc labitur opinionem, ut *φυλλοβολεῖν* h. l. non *ἀποβάλλειν τὰ φύλλα,* sed *μεταβάλλειν* significare existimet, quam in rem attulit Theophr. Hist. Plant. I, 10, 1. et III, 18, 17. Non credo hanc esse posse simplicis verbi *βάλλειν* significationem. Quare, nisi forte *φυλλοκομούσης* scribendum, *φυλλοβολεῖν* in hanc sententiam accipiendum est, ut sit arbor honoris causa folia spargens in eos, qui in eius umbra versantur. Nota sunt quae passim de *φυλλοβολίᾳ* traduntur, de qua vide Boeckhium ad Pindari Pyth. IX, 130. (219.) Cf. Horatius Carm. III, 18, 14. *spargit agrestes tibi silva frondes.*

Vs. 1010.

καὶ πρὸς τούτοις προσέχῃς τὸν νοῦν.

Hoc qui non graece dictum esse animadvertit Bergkius, coniecit *καὶ τούτοισιν ἔχῃς.* Talium locorum perquam

incerta est emendatio; quis enim praestet non scripsisse Aristophanem *καὶ τούτοισιν προσέχῃς τὸν νοῦν?*

Post v. 1014. aliquid excidisse suspicor quod respondeat verbis *ψήφισμα μακρόν*. In sequentibus recte Buechelerus transponit 1017. *πρῶτα μὲν ἕξεις στῆθος λεπτόν, χροιὰν ὠχράν, ὤμους μικρούς.*

Vs. 1048.

καί μοι φράσον, τῶν τοῦ Διὸς παίδων τίν' ἄνδρ' ἄριστον ψυχὴν νομίζεις, εἰπέ, καὶ πλείστους πόνους πονῆσαι.

Rav. et Ven. *παίδων* omittunt; unde conicere licebit excidisse, quod saepe excidit, in fine versus verbum *εἶναι*.

Vs. 1052. cum Reisigio scribere debebam *ταῦτ' ἐστὶν αὔτ' ἐκεῖνα.*

Vs. 1061.

ἐπεὶ σὺ διὰ τὸ σωφρονεῖν τῷ πώποτ' εἶδες ἤδη ἀγαθόν τι γενόμενον, φράσον καὶ μ' ἐξέλεγξον εἰπών.

Adhuc teneo quod in annotatione critica unius apicis mutatione scribendum esse conieci *φράσον καὶ μ' ἐξέλεγξον εὑρών* *dic et me refelle, si reppereris* (quo me refelli posse credis), quod mihi quidem vulgata scriptura, in qua pro *εἰπὼν* praesens tempus requiro, et argutius et vero etiam rectius dictum videtur. Cf. Eccles. 607. *σὺ γὰρ ἐξευρὼν ἀπόδειξον.*

Vs. 1066. nunc acquiesco in scriptura Hermanniana *ἀλλὰ μὰ Δί' οὐ μάχαιραν.*

Vs. 1075.

εἶεν. πάρειμ' ἐντεῦθεν ἐς τὰς τῆς φύσεως ἀνάγκας.

Non iniuria haesit Kayserus in verbo *πάρειμι*, quod ipsi *ἄνειμι*, mihi *μέτειμι* scribendum videtur. Cfr. 1408. *ἐκεῖσε δ' ὅθεν ἀπέσχισάς με τοῦ λόγου μέτειμι.* Kayseri ratio ideo probari non potest, quod *εἶεν* ultima producta non dicitur nisi in formula *εἶεν ἀκούω*. V. Equ. 663. Aschyl. Choeph. 665. In sequente versu cum aliis Rav. et Ven. scripturam sequutus sum, cum vulgo *κατελήφθῃς* legatur; nescio tamen an praestet *ἐμοίχευσάς τι*

κἀπελήφθης, siquidem sensus est *in furto deprehensus es*, in qua sententia εἶτα minus recte dictum videtur.

Vs. 1165.

ἄϊε σου πατρός·
ὅδ' ἐκεῖνος ἀνήρ.

Hos versus rectius alii cum Strepsiadae oratione coniungunt. Vs. 1184. dele quae scripsi de *αὕτη*. Vs. 1194. repudianda est recepta a nobis scriptura *διαλλάττοιντο*, qua de re admonuit Büchelerus.

Vs. 1275.

AM. ληρῶ τὰ χρήματ' ἀπολαβεῖν εἰ βούλομαι;
ΣΤ. οὐκ ἔσθ' ὅπως σύ γ' αὐτὸς ὑγιαίνεις. AM. τί δαί;
ΣΤ. τὸν ἐγκέφαλον ὥσπερ σεσεῖσθαί μοι δοκεῖς.

Ingeniose Hermannus correxit *σύ γ' αὖθις ὑγιαίνοις*, nisi quod rectius Bergkius scripsit *ὑγιανεῖς*. non credo tamen aliquid mutandum esse, modo haec verba cum Amyniae verbis coniungantur, pro *τί δαί* autem scribatur ἰαί idque Strepsiadae orationi adiungatur, ut sic procedat colloquium: *tu me delirare dicis? imo tu ipse sana mente non es.* Tum Strepsiades, *vae,* inquit, *cerebro laboras.* Praeterea pro *ὥσπερ* nescio an *ὦνερ* scribendum sit, *vae, mi homo, cerebrosus es*, quod mihi edito praestare videtur; neque *σεσεῖσθαι* tali lenimento indigere ostendit Acharn. 12. *πῶς τοῦτ' ἔσεισέ μου δοκεῖς τὴν καρδίαν;*

Vs. 1351.

ἀλλ' ἐξ ὅτου τὸ πρῶτον ἤρξαθ' ἡ μάχη γενέσθαι,
χρὴ δὴ λέγειν πρὸς τὸν χορόν· πάντως δὲ τοῦτο δράσεις.

Ita haec edidi; vulgo consentientibus libris R. et V. *ἤδη λέγειν χρὴ πρὸς χορόν*, deteriores libri habent *ἤδη χρὴ λέγειν πρὸς τὸν χορόν*. Ac sane articulus ad *χορόν* est necessarius. Sed credo nunc vitium latere in *χορόν* scribendumque opinor ad optimorum codd. fidem *ἡμῖν λέγειν χρὴ πρὸς χάριν* i. e. *ἡμῖν χαριζόμενόν σε χρὴ λέγειν*, nisi sufficit corrigere *ἤδη λέγειν χρὴ πρὸς χάριν*.

Vs. 1363.

οὐ γὰρ τότ' εὐθὺς χρῆν σ' ἄρα τύπτεσθαί τε καὶ πατεῖσθαι;

Admodum audacem de hoc versu protulit coniecturam Hermannus, qui repudiata Bentleii emendatione *οὐ γὰρ τότ' εὐθὺς χρῆν σε τύπτεσθαί τε καὶ πατεῖσθαι*, Aristophanis locum a grammaticis interpolatum esse, a poeta autem sic fere scriptum existimabat *οὐ γὰρ τότ' εὐθὺς χρῆν σέ γ' ἄρα τυπτόμενον ἐπιτριβῆναι*. Bentleio assensi sunt Porsonus, Elmsleius, alii, immerito quidem; unde enim *ἄρα*, quod omnes libri tenent, natum dicamus? At poterant haec multo lenius et vero sine erroris periculo in hunc modum restitui:

οὐ γὰρ τότ' εὐθὺς χρῆν σ' ἀράττεσθαί τε καὶ πατεῖσθαι;

Nimirum *τύπτεσθαι* explicationis causa verbo *ἀράττεσθαι* superscriptum partem genuinae scripturae obliteravit. Hesychius *Ἀράσσει· συντρίβει, τύπτει.*

Vs. 1365.

τῶν Αἰσχύλου λέξαι τί μοι· κᾆθ' οὗτος εὐθὺς εἶπεν
'ἐγὼ γὰρ Αἰσχύλον νομίζω πρῶτον ἐν ποιηταῖς,
ψόφου πλέων, ἀξύστατον, στόμφακα, κρημνοποιόν'.
κἀνταῦθα πῶς οἴεσθέ μου τὴν καρδίαν ὀρεχθεῖν;

Difficile est de hoc loco omnibus satisfacere. Versu secundo particula *γὰρ* non habet quo referatur, ac cum Ven. *εὐθὺς* omittat, non incredibile est excidisse in fine versus particulam abominandi: *κᾆθ' οὗτος εἶπεν. 'αἰβοῖ· ἐγὼ γὰρ Αἰσχύλον νομίζω πρῶτον ἐν ποιηταῖς'*, sed hac lege, ut in *πρῶτον* convicium Aeschyli lateat, modo ne quis illud *πρωκτὸν* fuisse putet, quod Thierschius restitui voluit. Suspicari possis *ῥῶπον* Aristophanem scripsisse, quod de futili et vili poeta dictum videri potest, ut anonymus poeta comicus apud Plutarchum (Vit. Demosthenis c. 8.) Demosthenem appellavit *ῥωποπερπερήθραν*. Cf. Hesychius: *Ῥῶπος· ἀντὶ τοῦ οὐδενὸς ἄξιον.* Fritzschius versum secundum post quartum transposuit, in qua ratione,

ne alia commemorem, *εἶπε* pro *ὠνόμασε* vel *ἔλεξε* dictum a comoediae certe usu abhorret.

Vs. 1373.

κᾆτ' οὐκέτ' ἐξηνεσχόμην, ἀλλ' εὐθὺς ἐξαράττω
πολλοῖς κακοῖς κᾀσχροῖσι.

Non recte dictum videtur *ἐξαράττειν τινὰ κακοῖς*, ut nec latine dici potest *excutere conviciis* pro simplici *quatere* vel *quassare*. Quare teneo adhuc quod iam olim proposui *ἀλλ' εὐθέως ἀράττω*. Nec pertinet huc locus quem Kockius attulit Equit. 641. *τὴν κιγκλίδ' ἐξήραξα.*

A V E S.

Vs. 2.

διαρραγείης· ἥδε δ᾽ αὖ κρώζει πάλιν.

Haud iniuria Cobetus suspectat *ἥδε δ᾽ αὖ*, quod *ἡδεδὶ* scribendum esse conicit; non satis commode enim *αὖ* h. l. coniungitur cum *πάλιν*, quod non *rursus* significat sed *εἰς τοὐπίσω*. Servavi tamen librorum scripturam, cum etiam alia conici possint, velut *ἥδε δ᾽ ἄνω κρώζει πάλιν*, ut vs. 50. *ἡ κορώνη μοι πάλιν ἄνω τι φράζει.*

Vs. 15.

ὃς τώδ᾽ ἔφασκε νῷν φράσειν τὸν Τηρέα,
τὸν ἔποφ᾽ ὃς ὄρνις ἐγένετ᾽ ἐκ τῶν ὀρνέων,
κἀπέδοτο τὸν μὲν Θαρρελείδου τουτονὶ
κολοιὸν ὀβολοῦ.

Horum versuum qui secundus est, cum partim ex vs. 13. partim ex vs. 47. compositus sit, recte opinor in marginem relegavi, in quo consentientem habeo Cobetum. Eum qui revocare volent, postrema verba *ἐκ τῶν ὀρνέων* ab inepto scriba inconsulto in locum genuinae scripturae suffecta esse statuere debebunt. Neque male Köchly *ἐξ ἀνδρός ποτε* vel *ἄνθρωπός ποτ᾽ ὤν* scribendum coniecit, inepte vero v. d. in Mnemosyne *ἐξ Ἐρινύων* proposuit, quale commentum ne in mentem quidem cuiquam venire debebat. Consimili perversitate idem v. d. infra vs. 40. *ἐπὶ τῶν ξύλων ᾄδουσι* coniectavit, pro *ἐπὶ τῶν δικῶν*, quod praecedentibus verbis *ἐπὶ τῶν κραδῶν ᾄδουσ᾽* assimilatum est pro *ἐν ταῖς δίκαις*. *Θαρρελείδης* quid nominis sit, nemo adhuc docuit; analogiae consentaneum esset

θαρραλείδου a θαρραλέος formatum. Cf. Lobeck Prol. pathol. p. 516. Keil Anal. p. 136.

Vs. 19.

τὼ δ' οὐκ ἄρ' ᾔστην οὐδὲν ἄλλο πλὴν δάκνειν.
καὶ νῦν τί κέχηνας; ἔσθ' ὅποι κατὰ τῶν πετρῶν
ἡμᾶς ἔτ' ἄξεις.

Quod ᾔστην scripsi, non est ea novitia emendatio, sed vetus scriptura etiam a Dindorfio repraesentata; ignoravit hoc Cobetus V. L. p. 381. iisdem testimoniis illum dicendi modum muniens, quibus dudum usi erant Brunckius atque Dindorfius. Quod idem v. d. Mnem. VII. p. 276. Amphidis locum a Diogene Laertio servatum sic refingi voluit:

ὡς οὐδὲν ᾖσθα πλὴν σκυθρωπάζειν μόνον,

etiam hic vir doctissimus actum egit. v. Com. graec. fragm. ed. min. vol. I. p. XVII. Ceterum in Aristophanis loco ᾔστην an ᾖστην scribatur, nihil interest. Cobeti argumento, οὐδὲν οἶδα πλὴν δάκνειν Aristophaneo dicendi usui repugnare dicentis, tanto minus aliquid tribuendum est, cum ne illud quidem, quod ipse unice Aristophaneum dicit, alio huius poetae exemplo confirmari possit, qui verbum εἰμὶ nusquam cum infinitivo, sed constanter cum substantivo coniunxerit, οὐδὲν γάρ ἐστε πλὴν κοάξ, οὐδὲν γάρ ἐστε πλὴν σκάφη etc. Et quid fiet de Ran. 740. ὅστις γε πίνειν οἶδε καὶ βινεῖν μόνον?

Vs. 23.

ἡ δ' ἡ κορώνη τῆς ὁδοῦ τι λέγει πέρι.

Pisthetaerus et Euelpides in eas se regiones delatos esse queruntur, ubi nec via nec semita sit. Tum Euelpides eum quem adscripsi versum loquitur, quem alios ἐρωτηματικῶς alios ἀποφατικῶς extulisse scholiasta auctor est; pro ἡ δ' ἡ plerique libri οὐδ' ἡ habent, R. autem ᾗδ' ἡ, unde ἦ δ' ἡ edidit Dindorfius, cum antea totum versum ita scribendum esse censuisset:

τί δ' ἡ κορώνη τῆς ὁδοῦ λέγει πέρι;

Hanc emendationem Dindorfio non nominato adoptavit Cobetus. Ac credo verum vidisse Dindorfium, sed alterum τι non est cur abiciatur. Scribendum enim:

τί δ' ἡ κορώνη; τῆς ὁδοῦ τι λέγει πέρι;

Euelpides supra graculo dixerat *quid rursum hias? haud dubie nos in rupes detrudes; nulla enim hic semita.* Tum cornicem crocitantem audiens, *quid vero?* inquit, *an forte cornix aliquid nobis de via indicat?* cui Pisthetaerus regerit *recte dicis, neque enim ut antea crocitat.*

Vs. 58.

οὐκ ἀντὶ τοῦ παιδός σ' ἐχρῆν ἐποποῖ καλεῖν.

Frustra Elmsleius et qui hunc tacite secutus est Cobetus ἀντὶ τοῦ παῖ παῖ scribi voluerunt. Cf. 184. ἐκ τοῦ πόλου τούτου κεκλήσεται πόλις i. e. ἐκ τοῦ πόλον τοῦτο εἶναι. Multa eiusdem generis congessit Dobraeus ad Demosth. p. 391, 6. Sed de hoc admonuit iam Hauptius Progr. acad. 1862.

Vs. 63.

οὕτως τι δεινὸν οὐδὲ κάλλιον λέγειν.

Acute Adolphus de Velsen Museo Rhen. XVIII. p. 620. pro κάλλιον coniecit Καλλίου, ut ne Calliae quidem tam magnum rictum esse dicatur; est tamen quod obstat.

Vs. 78.

ἔτνους δ' ἐπιθυμεῖ, δεῖ τορύνης καὶ χύτρας,
τρέχω 'πὶ τορύνην.

Inter δεῖ et τορύνης peiores libri inserunt τε particulam, quam Dindorfius grammaticorum interpolationem esse dicit, τορύνην mediam producere nescientium. Atqui absque illo τε apodosis ordiretur iam a δεῖ, quod sententiae repugnat; revocavi igitur τε, quod vides quam facile ante τορύνης excidere potuerit. Praeterea observa brevitatem in dicendo, cum plene dicere debuisset τρέχω 'πὶ τορύνην καὶ χύτραν. Similiter Sophocles Phil. 138. τέχνα γὰρ τέχνας ἑτέρας προὔχει καὶ γνώμας i. e. τέχνα καὶ γνώμα προέχει ἑτέρας τέχνας καὶ γνώμας. Et Horatius Carm. IV, 4, 24. *fortes creantur fortibus et bonis.*

Vs. 140.

εὑρὼν ἀπιόντ' ἀπὸ γυμνασίου λελουμένον.

Hamakerus haec in vitii suspicionem adduxit: „de „gymnasien, inquit, waren geene badinrigtingen, en Stil„bonides kon derhalve den zoon van zijnen vriend niet „aantreffen, op het oogenblik dat hij het gymnasium ver„liet na er een bad gebruikt to hebben.“ Eam ob causam vir doctissimus 'ληλιμμένον ab Aristophane scriptum esse affirmat. Atqui balnea cum gymnasiis coniuncta fuisse vel ex Theocrito XXIII, 57. constat.

Vs. 151.

ἐλθόνθ'; ΕΥ. ὁτιή; νὴ τοὺς θεοὺς ὅτι οὐκ ἰδών —

Ita haec Halbertsmam sequutus edidi, vulgo ὁτιὴ νὴ τοὺς θεοὺς ὅς οὐκ ἰδών. Recte obvertit Kockius sic non recte dictum esse ὁτιή, quod Aristophanem non ponere in interrogatione. Bene igitur Bothius probante etiam Dindorfio coniecit ὁτιὴ νὴ τοὺς θεοὺς ὅσ' οὐκ ἰδών —

Vs. 156.

οὐκ ἄχαρις ἐς τὴν τριβήν.

Scholiasta: ὡς ἐπὶ (ἀπὸ?) ἐσθῆτος ἡ μεταφορά. ἀντὶ τοῦ εἰς τὴν διατριβήν. Id ipsum, ἐς διατριβήν, Aristophani reddendum conieci. Metaphoram a detrito vestimento repetendam esse non magis credo affirmanti, quam τριβὴ pro διατριβὴ dictum esse. Etiam articulus nonnihil offensionis habet.

Vs. 168.

τίς ὄρνις οὗτος; ὁ Τελέας ἐρεῖ ταδί.

Prorsus absonum illud τίς ὄρνις οὗτος, nec dubium est quin recte Hermannus in schedis τίς ἐστιν οὗτος correxerit. In idem postea incidit Hamakerus, qui quod Atticos ὄρνις ultima longa dixisse contendit, excipere debebat poetas tragicos. Certe Aeschylus fragm. 297. dixit

θρασὺν πετραῖον ὄρνιν ἐν παντευχίᾳ,

quod non videtur corruptum esse. Sophocles El. 148. ὄρνις ἀτυζομένα. at in eiusdem fragm. 588. incerta

scriptura est, de quo dixit Nauckius, certa rursus in fragm. anonymi 241. *οὐδ' ἀγρία γὰρ ὄρνις ἢν πλάσῃ δόμον.* At Philemo apud Athen. VII. p. 288. non scripsit *ὅμοιον ἐγένετ', ὄρνις ὁπόταν ἁρπάσῃ*, sed *ὁπότ' ἂν ὄρνις ἁρπάσῃ.*

Vs. 181.

ὅτι δὲ πολεῖται τοῦτο καὶ διέρχεται
ἅπαντα διὰ τούτου, καλεῖται νῦν πόλος.

Haec frustra Cobetum, quem iusto festinantius sequutus sum, suspectasse optime docuit Hauptius Progr. acad. 1862. p. 5. *διὰ τούτου* pro *διὰ τοῦτο* Bergkii est emendatio.

Vs. 210.

λῦσον δὲ νόμους ἱερῶν ὕμνων,
οὓς διὰ θείου στόματος θρηνεῖς,
τὸν ἐμὸν καὶ σὸν πολύδακρυν Ἴτυν
ἐλελιζομένη διεροῖς μέλεσιν
γέννος ξουθῆς.
καθαρὰ χωρεῖ διὰ φυλλοκόμου
σμίλακος ἠχὼ πρὸς Διὸς ἕδρας —

Ferri non potest, ut mihi quidem videtur, oratio asyndeta inde a vs. 216. cui incommodo ita olim subveniendum esse existimabam, ut ante *καθαρὰ* aliquid excidisse statuerem, e. c. *καὶ δὴ καθαρὰ καθαρῶς χωρεῖ*, vel simile quid. At vitium loci in praecedentibus potius quaerendum est, in quibus illud etiam magnam offensionem habet, quod lusciniae carmina vocantur *διερά*, quod qui de liquida voce interpretantur, quo iure id fieri possit non docuerunt. Quare locum ita conformavi:

οὓς διὰ θείου στόματος θρηνεῖς
τὸν ἐμὸν καὶ σὸν πολύδακρυν Ἴτυν·
ἐλελιζομένης δ' ἱεροῖς μέλεσιν
γέννος ξουθῆς
καθαρὰ χωρεῖ διὰ φυλλοκόμου
σμίλακος ἠχὼ πρὸς Διὸς ἕδρας —

In duplice accusativo *οὓς θρηνεῖς τὸν ἐμὸν Ἴτυν* nemo qui aliquem poetici sermonis usum habet haerebit. Ne

longe abeam, Sophocles El. 123. dixit *τίν' ἀεὶ τάκεις ὧδ' ἀκόρεστον οἰμωγὰν τὸν Ἀγαμέμνονα.* Euripides Med. 205. *ἄχεα μογερὰ βοᾷ τὸν προδόταν.* Quod 213. reposui *ἐλελιζομένης* perinde est ad lusciniam an ad *ξουθῆς γέννος* trahatur; priori rationi favet Euripides Hel. 1118. *ἔλθ' ὦ διὰ ξουθᾶν γενύων ἐλελιζομένα*, ne plura commemorem. *ξουθὴν γέννν* dixit poeta de mobili gutture; hanc enim potestatem esse adiectivi *ξουθὸς* ostendi Exerc. philol. ad Athen. II. p. 22. Cf. 745. *δι' ἐμῆς γέννος ξουθῆς μελέων Πανὶ νόμους ἱεροὺς ἀναφαίνω.*

Vs. 244.

οἵ θ' ἑλείας παρ' αὐλῶνας ὀξυστόμους
ἐμπίδας κάπτεθ', ὅσα τ' εὐδρόσους γῆς τόπους
ἔχετε λειμῶνά τ' ἐρόεντα Μαραθῶνος,
ὄρνις τε πτεροποικίλος
ἀτταγᾶς ἀτταγᾶς.

Ita haec vulgo eduntur, metro pessumdato, quod inde a vs. 244. usque ad 248. creticis numeris constat. Particulam *τε* 447. optimi libri omittunt; praeterea vix credibile est poetam post *ὅσα ἔχετε* unam tantum avem commemorasse. Scripsi igitur:

ἔχετε λειμῶνά τ' ἐρόεντα Μαραθῶνος, ὄρ-
νις πτέρων ποικίλος τ' ἀτταγᾶς ἀτταγᾶς;

De avi *πτέρων* nominata testem produco Hesychium v. *Πτέρων· ἀλλ' ἢ τρίορχος ἢ πτέρων ἢ στρουθίας· εἶδος ὀρνέου.* Ita enim, non *πτερῶν*, scribendum est. Cfr. Fragm. Com. IV. p. 647. Adde Etymol. M. p. 226, 38. *τὰ εἰς ρων δισύλλαβα μὴ ὄντα συγκριτικὰ φυλάσσει τὸ ω. φάρων φάρωνος* (*παρών παρῶνος?* an *χάρων χάρωνος?*) *πτέρων πτέρωνος, Ἄκρων Ἄκρωνος.*

Vs. 333—335.

Versus hosce turpissime depravatos intactos reliqui, quos qui emendare volent, etiam id attendere debebunt, contra omnem omnium antiquorum poetarum consuetudinem

dictum esse *ἐξότ' ἐγένετο* pro *ἐξ ὅτου ἐγένετο.* Dixerunt de hoc usu particulae *ἐξότε* Sturzius dial. Maced. p. 211. et Lobeckius ad Phryn. p. 47. sed Aristophanei loci immemores. Neque Hermannus, qui eum emendare conatus est Epit. doctr. metr. p. 183. inauditum illud removit.

Vs. 350.

οὔτε πολιὸν πέλαγος ἔστιν ὅ τι δέξεται.

Qui huic versui proxime praecedit *οὔτε γὰρ ὄρος σκιερὸν οὔτε νέφος αἰθέριον,* docere videtur, etiam in illo versu *πολιὸν* post *πέλαγος* transponendum esse; in talibus poeta summam concinnitatem amat.

Vs. 374.

πῶς δ' ἂν οἵδ' ἡμᾶς τι χρήσιμον διδάξειάν ποτε ἢ φράσειαν.

Rav. ante *διδάξειαν* inserit *ἤ*, unde Bergkius coniecit *χρηστὸν ἢ διδάξειαν,* quod verum esse ostendit Theodorus Kock Exercit. crit. p. 9.

Vs. 386.

μᾶλλον εἰρήνην ἄγουσι νὴ Δί', ὥστε τὴν χύτραν —

Ita recte mihi haec in Praef. ad Menandri Reliquias p. XX. emendasse videor, cum vulgo libris consentientibus legeretur *ἄγουσιν ἡμῖν,* quod Bergkius *ἄγουσιν ἧμιν,* Dobraeus *ἄγουσ' ἡμῖν ἔθ',* Dindorfius *ἄγειν δοκοῦσιν* scripserunt: *ἧμιν* a comicorum usu alienum est, *ἔτι* a Dobraeo illatum languet, *ἄγειν δοκοῦσιν* praeceps coniectura est. *νὴ Δία* cur languere dicatur non video; avibus magis magisque recedentibus, rectissime Pisthetaerus, *profecto,* inquit, *magis magisque pacem nobiscum agunt.*

Vs. 396.

δημοσίᾳ γὰρ ἵνα ταφῶμεν,
φήσομεν πρὸς τοὺς στρατηγούς
ἀποθανεῖν ἐν Ὀρνεαῖς.

Male Brunckius, quem omnes secuti sunt, *δημόσια* scripsit, quo metrum quidem restituitur, constans autem

graecitatis *δημοσίᾳ* postulantis usus laeditur. Recte id intellexit Cobetus, nihil tamen ipse tentavit. Credo equidem *δημόθεν* scripsisse Aristophanem, *impensis publicis*, quemadmodum Homerus Odyss. *τ*, 197. dixit *δημόθεν ἄλφιτα δῶκα καὶ αἴθοπα οἶνον ἀγείρας.**) Neque ab attico usu hanc formam alienam esse ostendunt adverbia *πατρόθεν*, *μητρόθεν* alia. Qui Brunckii rationem tueri volent, speciose uti poterunt quod Aristophanes Pac. 585. exemplo dixit unico sed aliquantum tamen diverso *δαιμόνια βουλόμενος εἰς ἀγρὸν ἀνερπύσαι*, pro usitato *δαιμονίως*.

Vs. 418.

ὁρᾷ τι κέρδος ἐνθάδ' ἄξιον μονῆς,
ὅτῳ πέποιθ' ἐμοὶ ξυνὼν
κρατεῖν ἂν ἢ τὸν ἐχθρὸν ἢ
φίλοισιν ὠφελεῖν ἔχειν;

Aliter haec describenda esse ostendunt quae his opponit Epops, cuius verba ita edita sunt a Dindorfio:

λέγει μέγαν τιν' ὄλβον οὔ-
τε λεκτὸν οὔτε πιστόν· ὡς
σὰ ταῦτα πάντα καὶ
τὸ τῇδε καὶ τὸ κεῖσε καὶ
τὸ δεῦρο προσβιβᾷ λέγων.

Ut parem utrique strophae trochaicorum numerum restituerent alii vs. 422. *λέγει*, Bergkius autem Philol. XIV. p. 183. novissime 426. *λέγων* deleri voluerunt. Horum ego neque hoc neque illud ferri posse existimo, vitiumque potius in strophicis versibus situm esse credo. Praeterea vs. 424. omnes libri et schol. ad vs. 348. post *ὡς σὰ* habent *γάρ*, quod sententiae aptissimum, imo necessarium est. Scribendum videtur:

ΧΟ. ὁρᾷ τι κέρδος ἐνθάδ' ἄ-
ξιον μονῆς, ὅτῳ πέποιθ'
ἐμοὶ ξύνοικος ὢν ἀεὶ

---

*) Idem nunc coniecit Kockius.

κρατεῖν ἂν ἢ τὸν ἐχθρὸν ἢ
φίλοισιν ὠφελεῖν ἔχειν;
ΕΠ. λέγει μέγαν τιν᾽ ὄλβον οὔ-
τε λεκτὸν οὔτε πιστόν· ὡς
σὰ γὰρ τὰ πάντα ταῦτα, καὶ
τὸ τῇδε καὶ τὸ κεῖσε καὶ
τὸ δεῦρο, προσβιβᾷ λέγων.

Quod vs. 419. supplevi *ξύνοικος ὢν ἀεὶ* vel *ξύνοικος ὢν τὸ πᾶν*, ipse commendat Aristophanes 415. ubi Epops *ξυνοικεῖν τέ σοι καὶ ξυνεῖναι τὸ πᾶν*, quo loco facile quis ita uti possit, ut poetam scripsisse existimet *ἐμοὶ ξυνοικῶν καὶ ξυνών*. Reieci tamen hoc eam ob causam, quoniam spondiaca iambici pedis forma in hoc systemate, quod inde a versu 415—426 totum puris iambis constat, non ferri posse mihi videbatur. Postrema verba *προσβιβᾷ λέγων* non significant 'argumentis *adstruit*', sed 'argumentis *tibi persuadebit*,' sc. ubi tu ei tecum colloquendi potestatem feceris. Alienum enim est ab atticis scriptoribus praesens *προσβιβᾶν*. De locutione *προσβιβάζω λέγων* cf. Lucianus Anach. 12. *οὐ γὰρ λέγων τις ἂν προσβιβάσειέ σε*, et quem Brunckius attulit Aeschines p. 485. *τῷ λόγῳ προσβιβάζεις ἡμᾶς*.

Vs. 456.

σὺ δὲ τοῦθ᾽ ὁρᾷς· λέγ᾽ ἐς κοινόν.

Qui primus omnium haec depravata esse intellexit Bentleius, coniecit *σὺ δὲ τοῦτ᾽ ὦ τᾶν λέγ᾽ ἐς κοινόν*, Bergkius autem *σὺ δὲ τοῦθ᾽ ὃ δρᾷς λέγ᾽ ἐς κοινόν*, quod licet illo lenius sit, vix tamen probari potest, quoniam hoc si voluisset poeta, non *δρᾷς*, sed *δράσεις* scripturus fuisset, vel si metrum pateretur *δρασείεις*. Minus etiam placet Koechlyi coniectura *σὺ δὲ τοῦτο τορῶς λέγ᾽ ἐς κοινόν*, quod etiam ob metricas rationes probari non potest. Antistrophicos enim versus comparanti apparebit, stropham et antistropham exactissime sibi respondere, ut nusquam brevis syllaba longae sit opposita, nisi quod semel vs. 452. in versus initio brevis anacrusis respondet longae. Quod

quidem etiam in aliis carminibus exacte compositis factum est. Ei de quo dicere institui versui oppositus est hic ἀγαθὴν ἥκεις ἐμοὶ σωτήρ. Scribendum igitur:

σὺ δὲ τοῦθ' οὑρᾷς λέγ' ἐς κοινόν.

Quod de responsionis severitate in hoc carmine dicebam, non convellitur versu 459.

ἀγαθὸν πορίσας, τοῦτο κοινὸν ἔσται,

cui qui oppositus est 547.

τά τε νοττία κἀμαυτὸν οἰκήσω,

de eo egregiam Hermanni emendationem mihi indicavit Hauptius:

τά τε νοττία κἀμαυτὸν οἰκετεύσω.

Eam verissimam esse illius versus emendationem, ostendit allatus ab Hermanno Euripides Alcest. 449. τὸν ἀνάλιον οἶκον οἰκετεύοις, quem Aristophani obversatum esse tanto certius est, cum is etiam versus 539. πολὺ δὴ πολὺ δὴ χαλεπωτάτους λόγους colorem ex Alcest. 455. duxerit: πολὺ δὴ πολὺ δὴ γυναῖκ' ἀρίσταν.

Vs. 462.

καὶ μὴν ὀργῶ νὴ τὸν Δία καὶ προπεφύραται λόγος εἷς μοι, ὃν διαμάττειν οὐ κωλύει.

Pro εἷς μοι Halbertsma ἡμῖν, Bergkius εὖ μοι tentavit, quorum neutro opus videtur. Cf. Lysistr. 1135. εἷς μὲν λόγος μοι δεῦρ' ἀεὶ περαίνεται. Neque magis κωλύει tentandum puto, quod impersonaliter dixit etiam Thucydides I, 144. οὔτε γὰρ ἐκεῖνο κωλύει ἐν ταῖς σπονδαῖς οὔτε τόδε, quamquam hoc de vitio suspectum habet Cobetus ad Hyper. or. fun. p. 65. Similiter ἐπείγει dictum est apud Athenaeum XII. p. 520. c. περὶ ἧς νῦν οὐ κατεπείγει λέγειν.

Vs. 484.

ἦρχέ τε Περσῶν πρῶτον πάντων Δαρείου καὶ Μεγαβύζου.

Ita libri; probo nunc, reprobrata quam recepi Hirschigii coniectura, quod Hauptius Progr. Acad. 1862. restituit ἦρχέ τε Περσῶν πρότερος πάντων Δαρείων καὶ Μεγαβύζων.

Vs. 492.

οἱ δὲ βαδίζουσ' ὑποδησάμενοι νύκτωρ.

De his nuper Theodorus Kock Exercit. crit. p. 10. sq. tam subtiliter et acute disputavit, ut difficile sit ἀποδύσοντες corrigenti assensum negare. Verum tamen, quum haec nequaquam facilis et expedita sit emendandi ratio, in eam potius sententiam inclino, ut inter vs. 491 et 492. aliquid de nocturnis grassatoribus dictum excidisse statuam, quo pacto codicum scriptura intacta servari poterit.

Vs. 494.

εἰς δεκάτην γάρ ποτε παιδαρίου κληθεὶς ὑπέπινον ἐν ἄστει,
κἄρτι καθηῦδον, καὶ πρὶν δειπνεῖν τοὺς ἄλλους οὗτος ἄρ' ᾖσεν.

Pro κἄρτι nescio an rectius scribatur καί τι. Quid discriminis intersit, facile sentient qui haec inter se comparaverint: aliquando modice me inebriabam paululumque obdormiscebam; alterum vero est: aliquando in urbe me inebriabam, ac vix obdormiveram, cum gallus cecinit. Quorum hoc sic dictum est quasi qui modico vino se invitasset, necessario ei obdormiscendum sit.

Sequentia autem frustra in vitii suspicionem vocata esse intelliges, si rem ita factam esse fingas. Euelpides Alimusius ab amico in urbe invitatus, quum ante coenam largiuscule bibisset, obdormivit; tum subito galli cantu expergefactus, matutinum tempus esse ratus, antequam reliqui hospites coenarent, sese proripuit et in praedonum manus incidit.

Vs. 514.

ὁ Ζεὺς γὰρ ὁ νῦν βασιλεύων
αἐτὸν ὄρνιν ἕστηκεν ἔχων ἐπὶ τῆς κεφαλῆς βασιλεὺς ὤν,
ἡ δ' αὖ θυγάτηρ γλαῦχ', ὁ δ' Ἀπόλλων ὥσπερ θεράπων ἱέρακα.

Non sine causa miratur Kockius insidentem Iovis capiti aquilam locumque gravi vitio laborare suspicatur.

Comparari tamen possunt quae leguntur in oraculo commentitio Equ. 1092. *ἀλλ' ἐγὼ εἶδον ὄναρ — καί μοὐδόκει ἡ θεὸς αὐτὴ* (Minerva) *ἐκ πόλεως ἐλθεῖν καὶ γλαὺξ αὐτῇ 'πικαθῆσθαι*, quod non diversum ab *ἐπὶ τῆς κεφαλῆς*. Quamquam quid haec differant ab Avium loco non me fugit. Tertio versu etsi scio Apollinem recte dici Iovis *θεράποντα*, tamen quo consilio id hoc loco commemoratum sit non intelligo; neque ad grammaticam rationem recte dictum est *ὥσπερ θεράπων*, pro quo, si haec est sententia quam scholiasta indicat, *ἐπεὶ μικρότερος τοῦ ἀετοῦ ὁ ἱέραξ*, potius ego *ἅτε θεράπων ὤν* vel simile quid expectabam; at *ὥσπερ θεράπων* ita dictum est, quasi omnibus omnino famulis accipiter pro comite additus sit. Adde quod totum hoc de Apollinis ministerio longius a superioribus remotum est, quam ut satis commode ad Iovem referri possit. Credo igitur aliquid vitii haerere in verbis illis scribendumque puto *ὥσπερ θεράποντ' ἱέρακα*, ut accipiter Apollinis quasi famulus esse dicatur.

Vs. 524.

ὥσπερ δ' ἤδη τοὺς μαινομένους
βάλλουσ' ἡμᾶς, κἂν τοῖς ἱεροῖς
πᾶς τις ἐφ' ἡμῖν ὀρνιθευτὴς
ἵστησι βρόχους παγίδας ῥάβδους
ἕρκη νεφέλας δίκτυα πηκτάς.

E templis aves, si quae forte ibi nidificarent, a ministris sacrorum abactas esse, quemadmodum in Euripidis Ione factum videmus, rei consentaneum est, at aucupes istic quidquid usquam retium esset tetendisse, perinepta est rei exaggeratio. Eam ob causam praeeunte Bergkio verba *κἂν τοῖς ἱεροῖς* praecedentibus iunxi, et post *ἡμῖν* adieci *δέ*. Non credo tamen ita rem profligatam esse, nec dubito quin post *τοῖς ἱεροῖς* propter *ὁμοιοτέλευτον* versus exciderit:

βάλλουσ' ἡμᾶς κἂν τοῖς ἱεροῖς,
[*ἐν τοῖσι δ' ἀγροῖς καὶ τοῖς δρυμοῖς*]
πᾶς τις ἐφ' ἡμῖν —

Ubi *κἂν τοῖς ἱεροῖς* est *in templis adeo.* Quod ultimo versu commemoratur retium genus *πηκταί,* fortasse etiam a Sophocle commemoratum est apud Stobaeum Ecl. phys. I, 3, 7. (sive in Menandri gnomis monost. 25.) ubi cum vulgo edatur *θεοῦ δὲ πληγὴν οὐχ ὑπερπηδᾷ βροτός,* videndum est ne scribendum sit *πηκτὴν* cll. Aeschyli Pers. 104. *παράγει βροτὸν εἰς ἄρκυας ἄτα, τόθεν οὐκ ἔστιν ὑπὲκ θνατὸν ἀλύξαντα φυγεῖν.*

Vs. 533.

ἀλλ' ἐπικνῶσιν τυρὸν ἔλαιον
σίλφιον ὄξος, κατατρίψαντες
κατάχυσμ' ἕτερον γλυκὺ καὶ λιπαρόν,
κἄπειτα κατεσκέδασαν θερμὸν
τοῦτο καθ' ὑμῶν
αὐτῶν ὥσπερ κενεβρείων.

Pro *κατατρίψαντες,* quae Hermanni est emendatio, vulgo legitur *καὶ τρίψαντες,* quod non recte coit cum sequenti *κἄπειτα,* sed quod idem Epit. doctr. metr. p. 139. in sequentibus coniecit:

κᾆτ' ἐσκέδασαν θερμὸν ψυχρῶν
τοῦτο καθ' ὑμῶν
αὐτῶς ὥσπερ κενεβρείων,

quamvis ingeniose excogitatum, tamen non usquequaque necessarium videtur. Ac versus 535. structura minus usitata quidem est, nec tamen sine exemplo, velut Lysistr. 485. *ὡς αἰσχρὸν ἀκωδώνιστον ἐᾶν.* Illud autem recte intellexit Hermannus *αὐτῶν* versu postremo corruptum esse; non ausim tamen id *αὐτῶς* scribere, quod a comico sermone alienum est. Aristophanes certe in tali orationis conformatione *οὕτως ὥσπερ* dicere solet; idemque fortasse etiam h. l. restituendum est, nisi quis *αὔων* praeferendum putet, ut id cum *κενεβρείων* coniungatur. Ac coniecit hoc ipsum, ut ex Kockii editione cognovi, iam Reiskius. Pro *κατάχυσμ' ἕτερον* eleganter Kockius scripsit *καταχυσμάτιον,* qui recte, ut videtur, *ἕτερον* ferri non posse animadvertit; facilius tamen

corrigas καὶ τρίψαντες κατάχυσμ' ἔπορον, quo pacto etiam καὶ τρίψαντες servari potest. De poetica forma ἔπορον in anapaestis non dubitandum est.

Vs. 559.

ἤνπερ δ' ἐπίωσ', ἐπιβάλλειν
σφραγῖδ' αὐτοῖς ἐπὶ τὴν ψωλήν, ἵνα μὴ βινῶσ' ἔτ' ἐκείνας.

Non nihil mihi dubitationis iniciunt verba ἤνπερ δ' ἐπίωσ', *sin accedant*, pro quo expectabam potius, *sin accesserint*. Fortasse scribendum est ἤνπερ δὲ ποιῶσ', i. e. ἢν διαφοιτῶσι διὰ τῆς χώρας.

Vs. 565.

ἢν Ἀφροδίτῃ θύῃ, πυροὺς ὄρνιθι φαληρίδι θύειν·
ἢν δὲ Ποσειδῶνί τις οἶν θύῃ, νήττῃ πυροὺς καθαγίζειν·
ἢν δ' Ἡρακλέει τις βοῦν, λάρῳ ναστοὺς θύειν μελιτοῦττας.
κἂν Διῒ θύῃ βασιλεῖ κριόν, βασιλεύς ἐστ' ὀρχίλος ὄρνις.

Phaleridi aviculae idem sacrificium quod anati parari cum vix credibile sit, Brunckius vs. 565. κριθὰς pro πυροὺς scribendum censuit, ad sensum non male, sed citra omnem veritatis speciem. Scripsi:

ἢν Ἀφροδίτῃ θύῃ, γύρους ὄρνιθι φαληρίδι θύειν.

Placentae id genus est, formae, ut vel nomen indicat, orbicularis atque mamillarum similitudinem referens, eamque ob causam Veneris sacrificio aptissimum. Male id nomen γοῦρος scriptum est in versibus Solonis apud Athenaeum XIV. p. 645 f. τρώγουσιν οἳ μὲν ἴτρια, | οἳ δ' ἄρτον αὐτῶν, οἳ δὲ συμμεμιγμένους | γούρους φακοῖσι, ubi quae statim de κυριβάναι placenta adduntur τῷ σχήματι μαστοειδεῖς, vix dubitari potest quin ad γύρους referenda sint, ut factum est in Epitome γῦρος· οὗτος τῷ σχήματι μαστοειδής ἐστιν, ὥς φησιν Ἀλκμάν. Cf. Eustathius ad Hom. p. 1864, 9. γύρος (sic) πλακοῦς τῷ σχήματι μαστοειδής, ᾧ ἐχρῶντο Λάκωνες πρὸς γυναικῶν ἑστιάσεις. Totus ille Athenaei locus incredibilem in modum partim librariorum culpa partim ipsius Athenaei ἀκρισίᾳ turbatus est. Apud Artemidorum Onirocr. II, 69. optio datur inter

γυρομάντεις et τυρομάντεις, quorum illud praeferam, Lobeckio Aglaoph. p. 815. πυρομάντεις praeoptante. Denique idem hoc placentae genus nescio an praeter Aristophanem Acharn. 1125., ubi cum vulgo τυρόνωτον scriptum sit, non male, ut equidem opinor, ex Plutarcho Moral. p. 843. c. γυρόνωτον reposueris, etiam Anaxandrides Athenaei IV, 131. d. commemoraverit μέλιτος τυροῦ χορίων γύρων, ubi male editur πυρῶν.

Tertium versum adscripsi ut vitiosissime a Brunckio editus est; neque λάρος primam syllabam producit, neque ναστοὶ genere feminino dici potest, quorum vitiorum neutrum tollit Dindorfii scriptura ἣν δ' Ἡρακλέει θύῃ τις βοῦν, λάρῳ ναστοὺς μελιτούττας. Rav. scriptura est ἣν δ' Ἡρακλεῖ θύῃ τις, λάρῳ ναστοὺς θύειν μελιττούτας. Sic etiam alii; βοῦν ubi primum additum sit, non indicatum reperio, videtur ex praecedente versu, in quo ἣν δὲ Ποσειδῶνι βοῦν τις θύῃ lectum esse scholiastes indicat, huc delatum esse. Genuina versus scriptura, quemadmodum iam ante multos annos ostendi, haec est:

ἣν δ' Ἡρακλέει θύῃσι, λάρῳ ναστοὺς θύειν μελιτοῦντας,

quae presse optimorum librorum vestigia sequitur. De coniunctivi forma θύῃσι, quae in numeris anapaesticis nihil habet in quo quis offendat, dixi Fragm. Com. gr. II. p. 665. ubi eandem formam Platoni restitui in fragmento a schol. Platonis p. 314. Bekk. servato κἂν μὲν πίπτῃσι τὰ λεύκ' ἐπάνω, φεύγειν ταχὺ τοὺς ἑτέρους δεῖ, ubi item codex habet πίπτῃ. Denique ναστοὶ μελιτοῦντες dicti sunt, ut ἄρτοι σησαμοῦντες, πυραμοῦντες et alia id genus; codices μελιττούτας habent, a quo non multum abest quod ego reposui μελιτοῦντας. In transcursu moneo, apud Pollucem VI, 76. pro μελιττοῦτα, quae plane vitiosa forma est, scribendum esse μελιτοῦττα.

Vs. 575.

Ἥρην δέ γ' Ὅμηρος ἔφασκ' ἰκέλην εἶναι τρήρωνι πελείῃ.

Pro Ἥρην legebatur Ἶριν, quod cum Ἥρην scribendum esse intellexisset Bentleius, Dindorfius Ἥραν praetulit,

quoniam nihil causae sit, cur ionica forma servetur. At cum Homerum ipse poeta antestetur, multo probabilius est Ἥρην quam Ἥρᾱν ab Aristophane scriptum esse; eandem ob causam πελείῃ posuit poeta, non πελείᾳ. Praeterea pro εἶναι recte opinor scripsi βῆναι, Homerum sequutus, qui Aristophani obversabatur αἱ δὲ βάτην τρήρωσι πελειάσιν ἴϑμαϑ' ὁμοῖαι, et in hymno in Apollinem βὰν δὲ ποσὶν τρήρωσι πελειάσιν ἴϑμαϑ' ὁμοῖαι.

Vs. 586.

ἢν δ' ἡγῶνται σὲ ϑεὸν σὲ βίον σὲ δὲ Γῆν σὲ Κρόνον
σὲ Ποσειδῶ,
ἀγάϑ' αὐτοῖσιν πάντα παρέσται.

Haec foede depravata esse quivis sentiat, siquidem neque βίον quid hic sibi velit perspici potest, neque ϑεόν hic ullo modo ferendum, cum etiam Tellus et Cronus et Neptunus in diis habeantur. Neque medetur his malis Cobeti coniectura ἢν δ' ἡγῶνται σεμνόν σε ϑεόν. Apertum est certi dei requiri nomen. Quare vide an scripserit poeta:

ἢν δ' ἡγῶνται σὲ ϑεόν, Φοῖβον, σὲ δὲ Γῆν —

te si deum esse ducant, Phoebum puta, vel Tellurem vel Saturnum. Φοῖβος in βίος abiit etiam apud Stobaeum Ecl. phys. I, 5, 7.

Vs. 590.

ἀλλ' ἀναλέξει πάντας καϑαρῶς αὐτοὺς ἀγέλη μία
κιχλῶν.

In his quod κιχλῶν prima syllaba producta dictum est, iterum ad anapaestorum licentiam refero. κίγκλων a Dobraeo commendatum quo minus probari possit, hoc impedimento est, quod cincli gregatim non volitant, volitant vero turdi. Eandem ob causam Brunckii emendationem κιττῶν reicio.

Vs. 593.

τὰ μέταλλ' αὐτοῖς μαντευομένοις οὗτοι δώσουσι τὰ χρηστά,
τάς τ' ἐμπορίας τὰς κερδαλέας πρὸς τὸν μάντιν κατεροῦσιν.

Ingeniose Cobetus τὰ μὲν ἄλλ' αὐτοῖς coniecit, et versu sequente τὰς δ' ἐμπορίας. Aegre tamen caremus argenti fodinis, praecipuo Atticae opulentiae post commercia fonte. Pro δώσουσι autem egregie placet quod Bergkius suasit δείξουσι, ut 599.

Vs. 600.

τῶν ἀργυρίων· οὗτοι γὰρ ἴσασι· λέγουσι δέ τοι τάδε πάντες.

Non credibile est Aristophanem versum fecisse, cuius perpauci similes iique omnes de vitio suspecti reperiuntur; at medela anceps et incerta. Interim forsan coniicias scribendum esse οὗτοι γὰρ ἴσασ'· εἴρουσι δέ τοι τάδε πάντες, quae etsi prorsus epica forma est, fortasse tamen in anapaestis ferenda. Si vere conieci, λέγουσι pro glossemate genuinae formae habendum fuerit. V. Hesychium s. v. εἰρεῦσαι. Eadem libertate Axionicus apud Athenaeum VII. p. 342. usus est epico aoristo ἐνέπω in his τίνα τῷδ' ἐνέπω τὴν σκευασίαν.

Vs. 604.

ἢν εὖ πράττωσ', οὐχ ὑγιεία μεγάλη τοῦτ' ἔστι; σάφ' ἴσθι.

Assentior fere Cobeto, ὑγίεια ultima syllaba producta nullo pacto ferendum esse dicenti;*) at medela hic quoque incerta est. Quis enim credat verum esse quod Cobetus voluit:

ἢ εὖ πράττωσ', ἆρ' οὐ μεγάλη τοῦτ' ἔσθ' ὑγίεια; —

*) Nihil tribuo Menandri versui Sent. sing. 522. ὕπνος δὲ πάσης ἐστὶν ὑγιεία νόσου, qui mihi extremae graecitatis foetus videtur. Neque obstat Av. 731. ubi εὐδαιμονίαν, quod post πλουθυγίειαν sequitur, Hamakero praeeunte eieci.

Neque magis nunc probo quod ipse edidi ὑγιεῖ αὖ μεγάλη. Maiori veritatis specie corrigi possit:

ἦν εὖ πράττωσ', οὐχ ὑγιείας μεγάλης τοῦτ' ἔστι;

Sequentia verba σάφ' ἴσθι male Pisthetaero reliqui; sunt haud dubie Euelpidae verba semper aliquid inepti interloquentis. Vidit hoc Dobraeus.

Vs. 610.

αἰβοῖ, ὡς πολλῷ κρείττους οὗτοι τοῦ Διὸς ἡμῖν βασιλεύειν.

Possunt sane haec ita in ordinem redigi, ut aut ὡς deleatur, ut voluit Hermannus, aut βαβαί scribatur pro αἰβοῖ, ut fecit Brunckius; probabilius tamen mihi visum est δὴ post ὡς inserere, ut αἰβοῖ extra versum ponatur.

Vs. 631.

ἐὰν σὺ παρ' ἐμὲ θέμενος ὁμόφρονας λόγους.

Nescio an rectius scribatur πρὸς ἐμέ, quemadmodum φιλίαν, εἰρήνην et similia θέσθαι πρός τινα dicuntur, non item παρά τινα. In sequentibus (638) recte Kockius revocavit librorum scripturam ἐπὶ σοὶ τάδε πάντ' ἀνάκειται, adscripto loco Antiphontis V, 6. ἅπαντα γὰρ τὰ ἐν ἀδήλῳ ἔτι ὄντα ἐπὶ τῇ τύχῃ ἀνάκειται.

Vs. 663.

ἐκβίβασον αὐτοῦ πρὸς θεῶν αὐτήν, ἵνα
καὶ νὼ θεασώμεσθα τὴν ἀηδόνα.

Euelpidae haec verba esse ab Pisthetaeri oratione separanda intellexit Beerius, quem miror non haesisse in αὐτοῦ, quod qui ad βούτομον referri posse existimant, prorsus a vero aberrant. Scholiasta per αὐτόθι, ἐν τῷ θεάτρῳ, interpretatur, quod dubito an recte fieri possit. Iam potest quidem conici αὐτοῖς vel paulo audacius ἆ τᾶν, sed vereor ne locus interpolatus sit, poeta autem scripserit:

ἐκβίβασον αὐτὴν δῆτα πρὸς θεῶν, ἵνα —

quod unum omnium aptissimum est ad colloquii progres-

sum recte indicandum, ja bringe sie heraus. Is frequens particulae δῆτα usus est, e. c. Lysistr. 1245. ubi Laconi dicenti ὦ Πολυχαρείδα, λαβὲ τὰ φυσητήρια, infert Atheniensis λαβὲ δῆτα τὰς φυσαλλίδας πρὸς τῶν θεῶν. Et sic saepissime Aristophanes.

Vs. 710.

σπείρειν μέν, ὅταν γέρανος κρώζουσ' ἐς τὴν Λιβύην μεταχωρῇ,
καὶ πηδάλιον τότε ναυκλήρῳ φράζει κρεμάσαντι καθεύδειν,
εἶτα δ' Ὀρέστῃ χλαῖναν ὑφαίνειν.

Medium versum non credo erroris immunem esse; quo enim spectare dicemus φράζει? ad γέρανον haud dubie, sed eo ipso oratio nescio quam ducit scabritiem, quam facili opera vitare poeta poterat, si scribere ei placuisset καὶ πηδάλιον τῷ ναυκλήρῳ φράζῃ. Qui mox sequitur versus 714. ἡνίκα πεκτεῖν ὥρα προβάτων πόκον ἠρινόν, in eo non placet ὥρα post verba ἑτέραν ὥραν ἀποφαίνει, quae proxime antecedunt, repetitum. Aristophanes fortasse καιρὸς scripserat.

Vs. 717.

ἐλθόντες γὰρ πρῶτον ἐπ' ὄρνις οὕτω πρὸς ἅπαντα τρέπεσθε,
πρός τ' ἐμπορίαν καὶ πρὸς βιότου κτῆσιν, καὶ πρὸς γάμον ἀνδρός.

Pro ἅπαντα Suidas ἔργα habet et scholiasta τὰ ἔργα, i. e. τἄργα, ut recte emendavit Porsonus. Intelligenda autem opificia. Altero versu ἀνδρὸς ineptum esse vidit Brunckius, sed nihilo melius est quod ipse coniecit ἄνδρες, quasi opifices, mercatores non essent in virorum numero habendi. Aristophanes scripserat:

πρός τ' ἐμπορίαν καὶ πρὸς βιότου κτῆσιν, καὶ πρὸς γάμον ἄλλος.

Quae enim praecedunt nihil aliud significant quam: alius ad opificia, alius ad mercaturam, quibus iam recte inferri vides καὶ πρὸς γάμον ἄλλος.

Vs. 719.

ὄρνιν τε νομίζετε πάνθ' ὅσαπερ περὶ μαντείας διακρίνει.

Non recte dictum esse *περὶ μαντείας διακρίνει* intellexit Dobraeus; coniecit igitur *ὅσαπερ πέρι μαντεία διακρίνει.* Cui ita assentiebar, ut *ὅσαπερ μαντεία δὴ διακρίνει* scribendum arbitrarer. Quo minus Dobraeo obsequerer, impediebat numerorum, quos poetae obtrudit eius coniectura, insolentia; *πέρι* enim cum anastrophe non potest non arctissime cum *ὅσαπερ* coniungi, quo fit ut prava versui caesura inferatur.

Vs. 724—726.

Quos Hamakero auctore in marginem reieci versus, eos nunc lecta Theodori Kockii de iis disputatione in Exercit. crit. p. 4. sqq. postliminii iure poetae restituendos censeo. Is pro *ὥραις* vidit scribendum esse *λιαραῖς*; et dativos *χειμῶνι* et *θέρει* temporis dativos esse intellexit, verbis *μάντεσι μούσαις* inveteratum mendum inhaerere recte statuens, quibus quod substituit *μάντεσιν ὀρθοῖς* vel *μάντεσιν ὥρας*, ipse vidit v. d. nequaquam satisfacere. Fortasse scribendum est *ἕξετε χρῆσθαι μάντεσιν οὔσαις*, eodem participii usu, quo dixit poeta Plut. 839. *αὐχμὸς γὰρ ὢν τῶν σκευαρίων σ' ἀπώλεσεν*, et Vesp. 602. *ἣν δουλείαν οὖσαν ἔφασκες καὶ ὑπηρεσίαν ἀποδείξειν.* Sensus est *utemini nobis pro vatibus.* Quod feminino usus est poeta, qui alias constanter *ὁ ὄρνις* dixit praeter vs. 866, fecit metro coactus.

Vs. 822.

ἵνα καὶ τὰ Θεογένους τὰ πολλὰ χρήματα,
τά τ' Αἰσχίνου γ' ἅπαντα;

Ferri potest quod Hermannus scribi voluit *τά τ' Αἰσχίνου 'σθ' ἅπαντα.* At praestare puto *καὶ τᾀσχίνου γ' ἅπαντα, et vero etiam Aeschinis omnia*, noto usu particularum *καί — γε.* Perelegans tamen Hauptii coniectura est, *τά τ' Αἰσχίνου τάλαντα.* Ad illa Euelpidae verba

respondet Pisthetaerus· καὶ λῷστον μὲν οὖν τὸ Φλέγρας πεδίον, quae neque sic scripta intelligi possunt, neque si λῷον e schol. et μὲν ἦ cum deterioribus libris reponas.

Vs. 843.

κήρυκα δὲ πέμψον τὸν μὲν ἐς θεοὺς ἄνω,
ἕτερον δ' ἄνωθεν αὖ παρ' ἀνθρώπους.

Marklandus κήρυκε scripsit, quod praeter Brunckium sequuti sunt Dindorfius et Bergkius. Fortasse recte, quamquam iam Homerus similiter locutus est Od. 5, 265. ἐν δέ οἱ ἀσκὸν ἔθηκε θεὰ μέλανος οἴνοιο | τὸν ἕτερον, ἕτερον δ' ὕδατος μέγαν. Plura eiusdem generis attuli ad Menandri et Philem. Reliq. p. 393.

Vs. 856.

ἴτω ἴτω δὲ πυθιὰς βοὰ θεῷ,
συνᾳδέτω δὲ Χαῖρις ᾠδάν.

Chaeridem non tantum tibicinem, sed etiam citharoedum fuisse, auctor est scholiasta ad Acharn. 16. idemque subindicat sane Pherecrates Com. graec. II. p. 257. Hoc tamen loco tibicinem esse docent sequentia παῦσαι σὺ φυσῶν. Hanc ob causam recepi quam ex Hermanni schedis mihi Hauptius suppeditavit emendationem συναυλείτω δὲ Χαῖρις ᾠδᾷ. Confirmat hoc versus antitheticus 902. γένειόν τ' ἐστι καὶ κέρατα. Ita enim libri habent, non γένειόν ἐστι. Praeterea nescio an ὑπαυλείτω scribendum sit, quod proprie dicitur de tibicine cantum tibia comitante.

Vs. 864.

εὔχεσθε τῇ ἑστίᾳ τῇ ὀρνιθείῳ.

Ante has preces fortasse sollennis formula excidit εὐφημία 'στω. In ipsa precatione post ἑστιούχῳ excidisse verba καὶ Ποσειδῶνι τῷ Σουνιεράκῳ, et quae statim adduntur καὶ ὄρνισιν Ὀλυμπίοις καὶ Ὀλυμπίῃσι πᾶσι καὶ πάσῃσιν in finem precationis reicienda et ante v. 578. διδόναι etc. ponenda esse pulchre intellexit Kockius Exerc.

crit. p. 15. In avium catalogo, quae in sequentibus enumerantur, etiam ἐρισάλπιγγος nomen a poeta commemoratum fuisse, ex scholio antiquo intelligitur ad 884. quamvis non integre scripto: ἐπισκεπτέον περὶ τούτων ἐκ τῆς τῶν ζῴων ἱστορίας, τίς ὁ τέτραξ καὶ φλέξις καὶ ἐλασᾶς. ἡ γὰρ βάσκα καὶ καταρράκται εἰσὶ παρὰ Καλλιμάχῳ ἀναγεγραμμέναι. ὁ δὲ αἰγίθαλλος οὔτ' ἐρισάλπιγξ. Quorum postrema ita videntur corrigi posse οὔτε δὲ αἰγίθαλλος οὔτ' ἐρισάλπιγξ. Eam ob causam hac avicula catalogum auxi, eiusque nomen 884. post αἰγίθαλλος inserui, ut suaserat etiam Halbertsma. Scripsi autem ἠρισάλπιγγα, quam ex hoc ipso, ut videtur, Aristophanis loco commemorat Hesychius, apud quem etiam aliarum avium nomina ex Aristophane commemorantur, velut βασκᾶς et τέτραξ, haec quidem miram transformationem passa in hac glossa Ἴστραξ· ὄρνις ποιός. quae noli dubitare quin ex τέτραξ corrupta sit. Vides quam tenui discrimine ΙϹΤΡΑΞ et ΤЄΤΡΑΞ inter se distineantur.

Vs. 909.

Μουσάων θεράπων ὀτρηρός,
κατὰ τὸν Ὅμηρον.

Postrema verba (Schol. Rav. περισσά τινες ταῦτα) qui et hic et 914. tanquam glossema deleri voluerunt, vereor ne id invito poeta fecerint. Ridiculum est poetam dithyrambicum, dum sublimibus verbis Musarum se ὀτρηρὸν θεράποντα profitetur, eius locutionis Homerum testem producere. Neque incredibile est, poetas illos id saepius factitasse, qua re cum orationem magnificam ad humilitatem quandam deprimerent, id ipsum comici ad risum iocumque detorserunt. Ceterum ista verba etiam Eustratium ad Arist. Nicom. p. 65. b. in suo Aristophanis codice habuisse, ostendit Ruhnkenii adnotatio ad Velleium p. 20.

Vs. 929.

δός ἐμὶν ὅτι περ τεᾷ κεφαλᾷ θέλῃς
πρόφρων δόμεν ἐμὶν τεΐν.

Ne haec quidem fuerunt qui intentata relinquerent, quamquam rectissime scholiasta ista ἐμὶν τεΐν poetam dithyrambicorum sugillandorum causa dixisse statuit, his doricis formis ad taedium usque utentium. Prudenter ea de re disseruit Naeckius Opusc. I. p. 236. Risus causa etiam dixit τεᾷ κεφαλᾷ δόμεν pro eo quod sobrius poeta dixisset τεᾷ κεφαλᾷ ἐπινεύειν. Sed ita solebant isti, non quidem Pindarus, cuius poesis a talibus aliena erat, et qui ne τεΐν quidem in iis, quae aetatem tulerunt, carminibus dixit. *)

Vs. 948.

κἀς τὴν πόλιν γ᾽ ἐλθὼν ποιήσω δὴ ταδί.

Haec vulgata scriptura est, at δὴ *RVΓ* omittunt, unde scripsi τοιαδί. Quae sequitur poetae cantilena:

κλῇσον ὦ χρυσόθρονε τὰν τρομερὰν κρυερὰν
νιφόβολα πεδία πολύπορά τ᾽ ἤλυθον ἀλαλάν,

in ea Bentleius ἀλαλαί scripsit, post κρυερὰν et ἤλυθον incidens: id qui improbavit Hermannus, τὰν τρομερὰν κρυερὰν cum ἀλαλὰν coniunxit et πολύπορ᾽ ἅτ᾽ ἤλυθον coniecit, *frigida cantilena concelebra nivales campos quos accessi*, eadem structura, cuius nostro exemplum simillimum est apud Euripidem Med. 205. ἄχεα μογερὰ βοᾷ τὸν προδόταν. Ingeniosa haec est interpretatio, in qua hoc tamen dubito num τὰν τρομερὰν κρυερὰν recte cum ἀλαλὰν Hermannus coniunxerit, neque favet huic rationi quod statim Pisthetaerus dicit πέφευγας ταυταγὶ τὰ κρυερά. Sequutus igitur sum Bentleium ἀλαλαί scribentem, nisi quod rectius fortasse Bergkius voluit ἀλαλαλαί. At mendum praeterea latet in πολύπορά τ᾽. Sic enim habet V. et scholiasta, πολύπυρά τ᾽ Vat. et *Δ*, πολύ-

*) Non acquievit, ut nunc video, in edita scriptura Theodorus Kock Exerc. crit. p. 13. cui τεῶν pro τεΐν scribendum videbatur.

πο
πυρά τ' I, πολύσπορά τ' R. Conieceram πολυπύρετά τ', sed sufficit e codicibus πολύπυρά τ' corrigere; πῦρ pro πυρετὸς frequens est apud Hippocratem, nec ab attico dicendi usu alienum esse ostendit Aristophanis locus apud Pollucem IV, 186. Adde Menandrum Sent. sing. 439. *οὐδεὶς πῦρ εἰς χρήματα διδοὺς ἐπαύσατο,* ubi quum ego in verbis *πῦρ εἰς* genetivum doloris malive latere dixissem, optime Hauptius id *πυρὸς* esse intellexit.

Vs. 959.

ΠΙΣΘ. εὐφημία 'στω. ΧΡΗΣΜ. μὴ κατάρξῃ τοῦ τράγου.

Solenni formula *εὐφημία 'στω* vel *εὐφημεῖτε* ita constanter utitur Aristophanes, ut extra versum sit posita; idque etiam hoc loco factum est, modo ante *μὴ κατάρξῃ* aliquid excidisse statuas. Scribendum existimo:

ΠΙΣΘ. εὐφημία 'στω.
ΧΡΗΣΜ. μήπω γε μήπω, μὴ κατάρξῃ τοῦ τράγου.

Quae ratio etiam eo commendatur, quod chresmologus subito in scenam ingruens vix recte potuit verbis *μὴ κατάρξῃ* orationem ordiri. Cfr. Equ. 19. *μή 'μοιγε μή 'μοί, μὴ διασκανδικίσῃς.*

Vs. 977.

κᾂν μὲν θέσπιε κοῦρε ποιῇς ταῦθ', ὡς ἐπιτέλλω —

Quo iure is, qui oraculum consulit, *θέσπιος κοῦρος* appellari potuerit, non perspicio; ipse deus qui oraculum edit *θέσπιος* est, non is cui editur. Quare scribendum puto:

κᾂν μὲν θέσκελε κοῦρε ποιῇς ταῦθ', ὡς ἐπιτέλλω —

Cui coniecturae non obstat quod Homerus *θέσκελος* nonnisi de rebus (*θέσκελα ἔργα*) dicit, personas autem *θεοεικέλους* dicere solet. Quod praeterea Cobetus *ποιήσῃς* scribendum esse praecipit pro *ποιῇς ταῦθ'*, certe non necessarium esse praeter alios docet ipse Aristoph. Nub. 1009. *κᾂν ταῦτα ποιῇς, ἕξεις,* et Anaxandrides apud Athenaeum IV. p. 131. a. *κᾂν ταῦτα ποιῇς ὥσπερ φράζω,*

λαμπροῖς δείπνοις δεξόμεθ' ὑμᾶς. Sequentes versus ita vulgo eduntur:

αἰετὸς ἐν νεφέλῃσι γενήσεαι· αἰ δέ κε μὴ δῷς,
οὐκ ἔσει οὐ τρυγὼν οὐδ' αἰετὸς οὐ δρυκολάπτης.

Non recte haec dicta esse, his exemplis intelligitur. Plut. 139. οὐ βοῦν ἂν οὐχὶ ψαιστὸν οὐκ ἄλλ' οὐδεέν. ibid. 1114. οὐ λιβανωτὸν οὐ δάφνην οὐ ψαιστὸν οὐχ ἱερεῖον. Av. 1133. οὐ πλινθοφόρος οὐ λιθουργὸς οὐ τέκτων παρῆν. Ad horum igitur exemplorum normam, quae facile pluribus augeri possunt, corrigendum existimarem ut fecit Frankius, οὐκ ἀετός, nisi aquilae nullus hic locus esset; apertum enim est requiri vilis aviculae nomen, quod qui intellexit Dobraeus iusto audacius οὐκ ἀμπελὶς coniecit. Equidem praetuli:

οὐκ ἔσει οὐ τρυγὼν οὐ λάϊος οὐ δρυκολάπτης.

Id pusillae avis κοσσύφῳ simillimae nomen est. Aristoteles H. A. IX, 19. ὅμοιος τῷ μέλανι κοττύφῳ ἐστὶ λάϊος, τὸ μέγεθος μικρῷ ἐλάττων· οὗτος ἐπὶ τῶν πετρῶν καὶ ἐπὶ τῶν κεράμων τὰς διατριβὰς ποιεῖται, τὸ δὲ ῥύγχος οὐ φοινικοῦν ἔχει καθάπερ ὁ κόττυφος. Antoninus Liber. Metam. 19. καὶ ὁ Ζεὺς πάντας αὐτοὺς ἐποίησεν ὄρνιθας, καὶ ἔστιν ἐξ αὐτῶν τὸ γένος τῶν οἰωνῶν, λάϊοι καὶ κολοιοὶ καὶ κέρβεροι καὶ αἰγώλιοι. Eandem aviculam ὑπολαΐδα dictam esse indicat Hesychius Ὑπολαΐς· ὄρνις τις τῶν σκωληκοφάγων. Idem Ὑποληΐς· εἶδος ὄρνιθος· ἡ ὑπολαΐς. Ceterum perfacilis est emendatio. *ΟΥΛΑΙΟΣ* in *ΟΥΔΑΙΟΣ* corruptum peperit *ΟΥΔΑΙΕΤΟΣ*.

Vs. 991.

οὔκουν ἑτέρωσε χρησμολογήσεις ἐκτρέχων.

Merito offendit Hamakerum ἐκτρέχων, cui ille ἀποτρέχων substituit. Mihi *EK* = *EIC* nihil esse videtur nisi repetitio praecedentis *EIC*, unde scripsisse poetam conicias χρημολογήσων εἶ τρέχων. Cfr. Acharn. 828.

εἰ μὴ ʼτέρωσε συκοφαντήσεις τρέχων. Ingeniose tamen Bergkius coniecit χρησμολεσχήσεις τρέχων.

Vs. 993. legendum Bentleio praeeunte τί δαὶ σὺ δράσων.

Vs. 1011. 1015.

οἶσθ' ὁτιὴ φιλῶ σ' ἐγώ,
κἀμοὶ πιθόμενος ὑπαποκίνει τῆς ὁδοῦ.

Pisthetaeri haec verba sunt ad Metonem, qui unde scire potuerit Pisthetaeri amorem, eo minus perspicitur, cum Pisthetaerus vs. 997. nullam se Metonis notitiam habere clare indicaverit. Scripsi igitur ἴσθ' ὁτιὴ φιλῶ σ' ἐγώ, *scito me te amare*, itaque tu vicissim mihi gratificare. In sequentibus pro ἀλλὰ πῶς, quae structura excidunt, scribendum ἀλλά πως locusque ita distinguendus est:

μὰ τὸν Δί' οὐ δῆτ'· ἀλλά πως ὁμοθυμαδὸν
σποδεῖν ἅπαντας τοὺς ἀλαζόνας δοκεῖ.

Vs. 1052.

ἀπολῶ σε καὶ γράψω σε μυρίας δραχμὰς —

Rectissime de hoc versu statuit Kockius; recte idem sequentem versum μέμνησ' ὅτε τῆς στήλης κατετίλας ἑσπέρας; psephismatopolae tribuendum esse perspexit.

Vs. 1065.

γένναν
θηρῶν, οἳ πάντ' ἐν γαίᾳ
ἐκ κάλυκος αὐξανόμενον —
δένδρεσί τ' ἐφεζόμενα καρπὸν ἀποβόσκεται.

Recte Brunckius ἃ scripsit pro οἵ, et Dobraeus ἐφήμενα pro ἐφεζόμενα. Mox sequuntur vs. 1070. haec ἑρπετά τε καὶ δάκετα πάνθ' ὅσαπερ ἐστὶν ὑπ' ἐμᾶς πτέρυγος ἐκ φοναῖς ὄλλυται, in quibus quum mihi mirum esse videretur, reptilia avicularum alis interfici dici, pro πτέρυγος potius φάρυγος scribendum esse suspicatus sum.

Vs. 1081.

τοῖς τε κοψίχοισιν ἐς τὰς ῥῖνας ἐγχεῖ τὰ πτερά.

Neque articulum *τὰ πτερά* satis intelligo neque pennae quo pacto naribus *infundi* dici possint perspicio. Non sufficit scholiastae interpretatio *ἐμφαντικὸν τοῦ πλήθους τὸ ἐγχεῖ.* Intelligerem locum si scriptum esset *ἐς τὰς ῥῖνας ἐντιθεῖ πτερά.*

Vs. 1094.

ἀλλ' ἀνθηρῶν λειμώνων
φύλλων ἐν κόλποις ἐνναίω.

Sic R, non *ναίω*, quod unus C habere videtur. Bentleius indicante Velseno coniecit *φύλλων τ' ἐν κόλποις ναίω*, at nescio qui sint *φύλλων κόλποι;* ferrem si *ὑλῶν τ' ἐν κόλποις ναίω* legeretur, *in cavis silvarum recessibus.*

Vs. 1181.

κερχνῄς τριόρχης γὺψ κύμινδις ἀετός.

Scribendum puto *τρίορχος*, qua forma constanter Attici usi esse videntur, ubi de avis nomine agitur. Eandem metrica lex postulat infra 1206. *ἀναπτάμενος τρίορχος ἐμὲ συλλήψεται;* Cfr. incerti comici versus apud Hesychium *Πτέρων· Ἀλλ' ἢ τρίορχος ἢ πτέρων ἢ στρουθίας.* At in Vesp. 1534. *παισὶ τοῖς τριόρχοις,* ubi Carcini filii bene mutoniati ridentur, praestat fortasse *τριόρχαις*, quamvis meliores libri *τριόρχοις* habeant.

Vs. 1196.

ἄθρει δὲ πᾶς κύκλῳ σκοπῶν.

Trimetrum ut restituerent critici alii aliud tentarunt, quibus omnibus praeferenda est Hermanni ratio, qui initio versus *σιγᾶτε σῖγ'* excidisse statuit et praeterea, ut fieri solet in tali rerum forma, qualis hic describitur, *ἔα ἔα* ceteris praeponit. Eam ob causam ante *ἄθρει* lacunam indicavi.

Vs. 1200.

ἔχ᾽ ἀτρέμας· αὐτοῦ στῆθ᾽· ἐπίσχες τοῦ δρόμου.

Forsan *ἔχ᾽ ἀτρέμας αὐτοῦ· στῆθ᾽*, ut Thesmoph. 230. *ἔχ᾽ ἀτρέμας αὐτοῦ κἀνάκυπτε.* Versu sequente *λέγειν ἐχρῆν ὁπόθεν πότ᾽ εἶ*, speciose coniectum est *ὁπόθεν πέτει*, sed nihil mutandum esse docet vel Homericum *τίς πόθεν εἶς;*

Vs. 1210.

οὐκ οἶδα μὰ Δί᾽ ἔγωγε κατὰ ποίας πύλας.

Haec Iris respondet Pisthetaero interroganti *κατὰ ποίας πύλας εἰσῆλθες ἐς τὸ τεῖχος;* Nescio an haec interpunctione adiuvanda sint:

οὐκ οἶδα μὰ Δί᾽ ἔγωγε· κατὰ ποίας πύλας;

i. e. *quam tu mihi portam narras, per quam introierim?*

Vs. 1232.

μηλοσφαγεῖν τε βουθύτοις ἐπ᾽ ἐσχάραις
κνισᾶν τ᾽ ἀγυιάς.

Iniuria haec de vitio suspecta fuisse docet Plut. 819. *βουθυτεῖ | ὗν καὶ τράγον καὶ κριὸν ἐστεφανωμένος* et Lysistr. 196. *μηλοσφαγοῦσαι θάσιον οἶνον σταμνίον*, quamquam huius loci, in quo *σταμνίον* praeter expectationem pro *ἀμνίον* dictum videtur, paulo diversa est ratio. Non displiceret tamen si scriptum esset *βουθυτεῖν τ᾽ ἐπ᾽ ἐσχάραις.*

Vs. 1233.

Pisthetaero interroganti *ποίοις θεοῖς;* Iris contra Atticorum consuetudinem respondet *ποίοισιν; ἡμῖν τοῖς ἐν οὐρανῷ θεοῖς.* Dubius haerebam *ὁποίοισιν* an *οἵοισιν* scriberem; alterum utrum certe necessarium est. Praetuli *οἵοισιν* propter Plut. 348. *ποῖός τις; οἷος; λέγ᾽ ἀνύσας ὅ τι φῂς ποτε.*

Vs. 1253.

σὺ δ' εἴ με λυπήσεις τι, τῆς διακόνου
πρώτης ἀνατείνας τὼ σκέλη διαμηριῶ
τὴν Ἶριν αὐτήν.

Miror haec nulli criticorum vitii fuisse suspecta; quid enim est, quod famulae cruribus sublatis se Irin initurum profitetur? atqui crurum *ἀνάτασις* non potest pro ipso coitu dicta esse; itaque vereor ne tertio versu poeta scripserit *εἶτ' Ἶριν αὐτήν*, ut *διαμηριῶ* ad utramque pertineat.

Vs. 1265.

μηδέ τιν' ἱερόθυτον ἀνὰ δάπεδον ἔτι
τῇδε βροτῶν θεοῖσι πέμπειν καπνόν.

Secundo dochmio una syllaba deest ad integritatem, neque ea longe quaerenda, siquidem in tota graeca oratione una tantum vocula est, qua hic commode utaris. Scribendum enim:

μηδέ τιν' ἱερόθυτον ἀνὰ δάπεδον ἂν ἔτι —

Quam particulam suo hic loco positam esse facile intelliges, si orationem directam substituas *οὐδεὶς ἂν ἔτι βροτῶν πέμποι.* Eandem particulam etiam in altero versu complures codd. inque his praestantissimus Ven. habent, *πέμπειν ἂν καπνόν*, qua re ita uti licebit, ut *θεοῖσι* in *θεοῖς* mutato eam huic versui formam reddamus, cui planissime respondeat versus antitheticus 1195. *μή σε λάθῃ θεῶν τις ταύτῃ περῶν*, ubi si praeterea inverso verborum ordine scribas *ταύτῃ τις*, habebis versus exactissime sibi respondentes, in stropha:

ἀέρα περινέφελον, ὃν ἔρεβος ἐτέκετο,
μή σε λάθῃ θεῶν ταύτῃ τις περῶν,

et in antistropha:

μηδέ τιν' ἱερόθυτον ἀνὰ δάπεδον ἂν ἔτι
τῇδε βροτῶν θεοῖς πέμπειν ἂν καπνόν.

Vs. 1247.

μέλαθρα μὲν αὐτοῦ καὶ δόμους Ἀμφίονος.

Speciose vir doctus in Mnemosyne *δόμους Ὀλυμπίους* a poeta scriptum esse suspicatur, et tamen hoc falsissimum esse opinor. Verba ista, scholiasta indicante, ex Aeschyli quodam loco, spectatoribus haud dubie notissimo, parodiae lusu petita sunt, quibus quod eo loco poeta usus est, ubi prorsus inepte inculcata videri debent, in eo ipso posita est vis comica. Eiusdem plane generis porodiam habemus in Vesp. 308. ubi famelici liberi verbis *ἔχεις ἐλπίδα χρηστήν τινα νῷν ἢ πόρον* ex noto quodam Pindari loco perridicule addunt *Ἕλλας ἱερόν.*

Vs. 1271.

Ὦ Πισθέταιρ' ὦ μακάρι' ὦ σοφώτατε,
ὦ κλεινότατ' ὦ σοφώτατ' ὦ γλαφυρώτατε,
ὦ τρὶς μακάρι', ὦ κατακέλευσον.

Primum horum versuum fuit qui expungendum esse putaret, quo prudentior Dobraeus scribebat:

Ὦ Πισθέταιρ' ὦ Πισθέταιρ' ὦ μακάριε.

Non credo tamen hoc verum esse, alioque ducit Rav. scriptura, in quo secundus et tertius versus ita scripti sunt: *ὦ τρισμακάρι', ὦ κλεινότ'* (sic) *ὦ σοφώτατε, ὦ γλαφυρώτατε, ὦ κατακέλευσον.* Hinc locum ita edidi:

Ὦ Πισθέταιρ', ὦ μακάρι', ὦ σοφώτατε,
ὦ τρὶς μακάρι', ὦ κλεινότατ', ὦ γλαφυρώτατε,
ὦ κατακέλευσον, κατακέλευσον.

Vides ipsam Ravennatis scripturam, nisi quod *κατακέλευσον* bis posui, idque aptissime hic fieri in oratione concitata nemo ibit inficias.

Vs. 1297.

Μειδίας δ' ἐκεῖ
ὄρτυξ ἐκαλεῖτο· καὶ γὰρ ἤκειν ὄρτυγι
ὑπ' ὀρτυγοκόπου τὴν κεφαλὴν πεπληγμένῳ.

Ita haec scribenda erant; *ἤκειν*, pro quo codd. *ἦκεν* habent, diu ante Cobetum reppererat Dawesius Misc.

p. 301 (308). Confirmat Photii glossa *Ἥκειν· τὸ ἐώκειν ἐπὶ γ' προσώπου· οὕτως Ἀριστοφάνης.* quam ad hunc ipsum Aristophanis locum referendam esse bene intellexit Cobetus. Tertio versu legebatur *ὑπὸ στυφοκόμπου,* antiquo vitio, a quo nec Pollucis exemplar fabulae Aristophaniae liberum erat. Non dubium mihi quin verum viderit Dionysius, qui scholiasta teste *ὑπ' ὀρτυγοκόμπου* i. e. *ὀρτυγοκόπου* correxit. Nec multum differt *ΥΠΟΡΤΥΓΟΚΟΠΟΥ* ab *ΥΠΟCΤΥΦΟΚΟΠΟΥ.* Sententia autem iam evadit planissima: *ὁ ὀρτυγοκόπος* coturnicem certamini praeparans indocili avi pugno caput ferit, quo icta delirat.

Vs. 1337.

γενοίμαν αἰετὸς ὑψιπέτας,
ὡς ἂν ποταθείην ὑπὲρ ἀτρυγέτου
γλαυκᾶς ἐπ' οἶδμα λίμνας.

Apertum est haec graviter esse corrupta, sed quicquid adhuc coniecturarum viri docti periclitati sunt, probari non potest. Recte opinor post *ὑπὲρ* lacunam indicavi, *ἀέρος* vel *αἰθέρος* excidisse coniciens; nam *ἀτρύγετος* quamquam fere maris epitheton est, potest tamen eodem iure de aëre dici; ita *ἀὴρ ἀτρύγετος* idem fuerit quod Pindarus dixit *αἰθὴρ ἐρήμα.* Quod autem *super* aërem se volaturum dicit pro eo quod quivis alius dixisset *δι' ἀέρος,* id in parodia dithyrambicae poesis nihil habet quod vituperari possit.

Vs. 1344.

ὀρνιθομανῶ γὰρ πέτομαι καὶ βούλομαι
οἰκεῖν μεθ' ὑμῶν.

Patricidae haec verba sunt, qui quod se volare dicit, mirum sane hoc videri potest, quum postea demum (1360) alis instruatur; itaque brachiis iactandis volatum avium imitari censendus est. Dubito an recte Kockius scripserit *πέτεσθαι βούλομαι οἰκῶν μεθ' ὑμῶν.*

Vs. 1367.

φρούρει, στρατεύου, μισθοφορῶν σαυτὸν τρέφε,
τὸν πατέρ' ἔα ζῆν.

Recte asyndeto usus est poeta in tribus prioribus imperativis, non item in quarto, ad quem adversativam particulam requiro. Scribendum igitur *τὸν πατέρα δ' ἔα ζῆν.* Verbum *ἐᾶν* unum est de paucis, in quo etiam comici poetae synizesin admiserunt, quippe Homericae lectioni adsueti, cuius quis nesciat illud *τρεῖν μ' οὐκ ἐᾷ Παλλὰς Ἀθήνη.* Quod Dindorfius statuit, Atticos, ubi monosyllabo opus esset, *ᾷν ᾷ* et alia scripsisse, magnis dubitationibus obnoxium est.

In sequenti fabulae parte pluribus locis egregias Hermanni emendationes recepi Hauptii benignitate mecum communicatas. Id ubicunque factum est, fontem diligenter indicavi. Ex hoc genere est quod 1396. scripsi *τὸν ἁλάδε δρόμον ἁλάμενος.*

Vs. 1438.

ὅταν λέγωσιν οἱ πατέρες ἑκάστοτε
τοῖς μειρακίοις ἐν τοῖσι κουρείοις ταδί.

Hic locus unus multorum est, in quibus cum liber antiquissimus, ex quo codices nostri derivati sunt, madore corruptus esset, librarii lacunas ineptissimis coniecturis explere conati sunt. Quis enim non videat, illud *τοῖς μειρακίοις* nisi a delirante scribi non potuisse. Itaque a me impetrare non potui, ut relinquerem poetae, quod quovis sanae mentis homine indignum esset, scripsique *τοῖς φυλέταις,* quamquam eodem iure etiam *τοῖς δημόταις* vel *τοῖς συγγενέσι* inferre potuissem. Praetuli tamen *τοῖς φυλέταις,* quos consentaneum est in tonstrinis aliisque huius generis conciliabulis sermocinandi caussa convenisse.

Vs. 1446.

λόγοισι τἄρα καὶ πτεροῦνται; Π. φήμ' ἐγώ.

Sycophantae haec verba sunt, tanquam de re nova interrogantis et quasi nunc demum resciceret homines sermonibus alatos fieri; atqui id iam dudum a Pisthetaero compererat. Prorsus similis rerum facies 1542. ubi huic simillimum habes versum:

ἅπαντά τἄρ' αὐτῷ ταμιεύει; ΠΡ. φήμ' ἐγώ.

qui si deesset a nemine desideraretur. Ferrem hanc loquacitatem in homine qualis Blepyrus est in Ecclesiazusis, non item in sycophanta et Pisthetaero. Delendine an servandi sint illi versus non discernam, hoc tamen attendere velim criticos, abolito vs. 1542. sequentia *ἥν γ' ἢν σὺ παρ' ἐκείνου παραλάβῃς*, aliquanto melius et ad grammaticam rationem fortasse rectius coniungi cum Promethei versibus qui proxime antecedunt.

Vs. 1506.

ἀπὸ γάρ μ' ὀλεῖς, εἴ μ' ἐνθάδ' ὁ Ζεὺς ὄψεται.

Ita haec correxi olim Cur. crit. p. 15. nec muto sententiam. Praecedit *μὴ κάλει μου τοὔνομα.* Itaque hoc dicit *occides me nomen meum nominando.* Audacius Cobetus *ἀπὸ γὰρ ὄλωλ'.* Vulgo legitur *ἀπὸ γὰρ ὀλέσεις*, Rav. *ἀπὸ γάρ μ' ὀλέσει.*

Vs. 1561.

ὥσπερ ποθ' Οὐδυσσεὺς ἀπῆλθεν.

Certum est *ἀπῆλθεν* corruptum esse; *ἐπῆσε* corrigebat Helbig in Jahrb. f. class. Phil. 1861. p. 537. *καθῆστο* Kockius cll. Odyss. 11, 49. et 82. Idem mox vs. 1563. parum probabiliter *θῦμα* coniecit pro *λαῖγμα.*

Vs. 1672.

ἀλλ' ἢν μεθ' ἡμῶν ᾖς, καταστήσω σ' ἐγὼ
τύραννον, ὀρνίθων παρέξω σοι γάλα.

Nullo pacto ferendum erat asyndeton. Cf. ad Equ. 547. Quare aut *τε* post *ὀρνίθων* excidisse suspicor, aut *καταστήσας σ' ἐγώ* scribendum est. Praetuli alterum.

Vs. 1709.

προσέρχεται γὰρ οἷος οὔτε παμφαὴς
ἀστὴρ ἰδεῖν ἔλαμψε χρυσαυγεῖ δόμῳ,
οὔθ' ἡλίου τηλαυγὲς ἀκτίνων σέλας
τοιοῦτον ἐξέλαμψεν, οἷον ἔρχεται
ἔχων γυναικὸς κάλλος οὐ φατὸν λέγειν.

Rotundior et correctior oratio evadet, si bis *οὐδὲ* scripseris pro *οὔτε*, altera enim comparatio non ad Pisthetaerum, sed ad Basiliam spectat: tanta eius pulchritudo est, ut ne hesperus quidem sit pulchrior; neque solis splendor aequat splendorem nuptae. *παμφαὴς ἀστήρ* haud dubie hesperus est, *ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστήρ* Homerus Il. X, 318. Domus auro splendescens deorum domicilium est, i. e. caelum sive malis Olympus. Pro *ἰδεῖν ἔλαμψε* optimi libri habent *ἔλαμψεν ἰδεῖν*, unde conicias *ἰδεῖν* illatum esse ab eo qui lacunam codicis explere vellet, poetam autem scripsisse *ἀστὴρ θεῶν ἔλαμψε χρυσαυγεῖ δόμῳ.*

Vs. 1721.

περιπέτεσθε μάκαρα μάκαρι σὺν τύχᾳ.
ὢ φεῦ φεῦ τῆς ὥρας τοῦ κάλλους.

Non intelligo quid moverit Cobetum ut *μακαίρᾳ σὺν τύχᾳ* corrigeret; *μάκαρ* utroque genere dici nec paucis nec dubiis exemplis constat. Neque ad metrum ista mutatio apta est, siquidem numeri requiruntur trochaici. Altero versu Bothius *τοῦ κάλλους* expunxit, idemque suasit Cobetus, fortasse recte.

Vs. 1731.

Ἥρᾳ ποτ' Ὀλυμπίᾳ τῶν ἠλιβάτων θρόνων
ἄρχοντα θεοῖς μέγαν Μοῖραι ξυνεκοίμισαν
τοιῷδ' ὑμεναίῳ.

Intellexit vitium loci Brunckius, pro *θεοῖς* corrigens *θεαί*, quod probandum videtur. Quod Parcae in Iovis nuptiis hymenaeum canunt, nihil habet quod quis miretur. Cf. Catullus 64, 305. sqq. Pro *τῶν* poeticus sermo re-

quirit *τόν*, quod restituendum esse vidit etiam indicatus a Kockio van Gent Mnemos. VII. p. 214.

Vs. 1755.

ἕπεσθε νῦν γάμοισιν, ὦ φῦλα πάντα συννόμων
πτεροφόρ᾽, ἐπὶ πέδον Διὸς καὶ λέχος γαμήλιον.

Secundus versus cum una syllaba minor sit, fuerunt qui *ἐπί τε πέδον* scriberent, aliis *πτερυγοφόρ᾽* praeferentibus. Vitium mihi potius in *πέδον* latere videtur, quod nescio an recte *δάπεδον Διός* scripserim, cuius indicia latere videntur in scriptura cod. *Δ. πάδον Διός.* Iovis *χρύσεον δάπεδον* notum est ex Homero Il. *δ'*, 2. Denique dativum *γάμοισιν* dubito num recte interpretentur viri docti *ad nuptias celebrandas*, quod utut per linguae leges facere liceat (quamquam certum dativi sic positi exemplum frustra circumspexi), Aristophanem tamen *γαμοῦσιν* scripsisse suspicor *nuptias facturis;* ac ne articulum requiras, sua sponte *ἡμῖν* suppletur.

LYSISTRATA.

Vs. 24.

ΛΥΣ. καὶ νὴ Δία ταχύ. ΚΑΛ. κᾆτα πῶς οὐχ ἥκομεν;

Vix satis aptum est Lysistratam Calonicae interroganti *μῶν καὶ ταχύ;* id affirmare, cum quo sensu id illa interrogasset ipsam latere non posset. Maiorem etiam dubitationem habet ictus in ultima vocis *Δία* positus. Itaque Nauckio auctore totum versum in marginem reieci; iniuria, ut nunc mihi intelligere videor. Nam quum Voss. *B.* et *Δ.* *καὶ* omittant, motae difficultates facillime ita removeri possunt, ut *νὴ Δία πάνυ ταχύ* scribatur; similiter *πάνυ ταχύ* coniunxit poeta pluribus locis, ut Thesmoph. 916. Pac. 261. Certe haec coniectura aliquanto mihi probabilior videtur, quam quod Cobetus iussit *νὴ Δία τάχιστον.*

Quod statim legitur vs. 31. *ἐπ' ὀλίγου γὰρ εἴχετο,* in eo si quid mutandum est, malim Bergkio praeeunte scribi *ἐπ' ὀλίγου τἄρ' εἴχετο,* quam quod iusto audacius Dobraeus tentavit *ἐπ' ὀλίγου γ' ᾤχετ' ἄρα.*

Vs. 49.

ὥστε τῶν νῦν μηδένα
ἀνδρῶν ἐπ' ἀλλήλοισιν αἴρεσθαι δόρυ.

Mira haec est et per librariorum imperitiam invecta constructio, *μηδένα ἐπ' ἀλλήλοις αἴρεσθαι δόρυ.* Scribendum erat *μηδένας.* Idem error tollendus ex Epicharmi versu apud Etymol. M. p. 725, 25. *πολλοὶ στατῆρες, ἀποδοτῆρες δ' οὐδ' ἂν εἷς,* ubi quum particula *ἂν* ab Epicharmi usu aliena sit, *οὐδένες* potius quam *οὐδὲ εἷς* corrigendum videtur.

Vs. 64.

ὡς δεῦρ' ἰοῦσα Θουκάτειον ἤρετο.

Non credibile mihi videtur poetam diversis nominis *ἑτάτειον* formis usum esse; itaque aut hic *Θουκάταιον* aut Vesp. 804. cum Brunckio *ἑκάτειον* scribendum opinor.

Vs. 79.

οἷον τὸ κάλλος γλυκυτάτη σου φαίνεται.

Constans librorum scriptura est *ὦ γλυκυτάτη*, quae etsi recte emendata videri potest, fortasse tamen poeta *ὦ γλύκη* scripsit. Est hoc ex eo nominum genere, quae medium quendam inter propria nomina et adiectiva locum obtinent. Eiusdem generis sunt *ὦ πολυχαρείδα*, *ὦ ἐλάφιον*, *ὦ μυρτίον*, et quod nostro simillimum est *ὦ γλύκων* Ran. 985.

Vs. 87.

ἵκει ποθ' ἁμέ. Λ. νὴ Δί', ὦ Βοιωτία,
καλόν γ' ἔχουσα τὸ πεδίον.

Lampito adventum Boeoticae mulieris nuntiat; ad haec Lysistrata satis inepte dicit ea quae supra adscripsi. Apertum esse opinor Lampitonem non alloqui debuisse Boeotiam, sed hoc simpliciter dicere debebat *recte dicis; Boeotia est, ut quae pulcrum πεδίον habeat.* Itaque *Δί' ὦ* ex *Δία* natum puto, et inserto *ΜΑ* ante *ΔΙΑ* scribendum conicio *νὴ μὰ Δία Βοιωτία, καλόν γ' ἔχουσα τὸ πεδίον.*

Vs. 99.

τοὺς πατέρας οὐ ποθεῖτε τοὺς τῶν παιδίων
ἐπὶ στρατιᾶς ἀπόντας; εὖ γὰρ οἶδ' ὅτι
πάσαισιν ὑμῖν ἐστὶν ἀποδημῶν ἀνήρ.

Postremum versum diu est quod eliminandum putavi, in quo nunc etiam Hamakerum consentientem habeo; non esse Aristophanis docet vel *ἀνήρ*, quod articulo carere non potest. Additus est ab homine imperito qui desiderabat aliquid ad *εὖ οἶδ' ὅτι.*

Vs. 105.

ὁ δ' ἐμός γα καἴκα 'κ τᾶς ταγᾶς ἔλσῃ ποκά.

Ita haec edidi, cum vulgo versus ita scriptus sit *ὁ δ' ἐμός γα κἂν ἐκ τᾶς ταγᾶς ἔλσῃ ποκά*, in quibus *κἂν* atticum est, non laconicum.

Vs. 113—116.

ἐγὼ δέ γ' ἂν κἂν εἴ με χρείη τοὔγκυκλον
τουτὶ καταθεῖσαν ἐκπιεῖν αὐθημερόν.

In his *ἐγὼ δέ γε* ferri non posse apertum est. Rav. et Suidas *ἔγωγ' ἂν* habent, quod ad *ἐγὼ γὰρ ἂν* ducit, nisi praeferas *ἐγὼ μὲν ἄν*, vel quod Bergkius dedit *ἔγωγέ τἂν*. Secundo versu *ἐμπιεῖν* scripsi, praeeunte Bergkio. Quae his proxime subicit Calonica:

ἐγὼ δέ γ' ἂν κἂν ὡσπερεὶ ψῆτταν δοκῶ
δοῦναι ἂν ἐμαυτῆς παραταμοῦσα θήμισυ,

ea quotiescunque legi et relegi aliquid vitii suscepisse mihi visa sunt; nam cum dixisset Myrrhina *volo ego pacem, si vel encyclum oppignerari oporteat*, quis non expectet orationem similiter conformatam in hunc modum: *ego vero pacem volo, si vel corpus dissecare oporteat.* Nunc autem hoc dicit *ego vero videor mihi vel dimidium corpus dissectura esse.* Qua orationis conformatione violatur aequalitatis lex constanter in diverbiis observata, a qua Lampitoni recedere licebat, non licebat Calonicae. His causis eo adductus sum, ut locum ita refingendum existimem:

ἐγω δέ γ' ἂν κἂν ὡσπερεὶ ψῆτταν δέῃ
δοῦναί μ' ἐμαυτῆς παραταμοῦσαν θήμισυ.

Neque violenta est mutatio, siquidem *ΔCHI*, ubi semel in *ΔOKI* abiisset, facile vides quam proclivis inde ad *ΔOKΩ* sit aberratio. Pro *παραταμοῦσα*, vel ut libri habent *παρταμοῦσα*, Bergkius *ἀρταμοῦσα* dedit.

Vs. 117.

. ἐγὼ δὲ καί κα ποττὸ Ταΰγετον ἄνω
ἔλσοιμ', ὅπᾳ μέλλοιμί γ' εἰράναν ἰδῆν.

Certum est ὅπᾳ corruptum esse. Dobraeus ὅσεν vel ὁπόσεν tentabat. Sententia sine dubio haec est, se vel Taygeti cacumen adscendere velle, si hoc inde consequatur, ut pacem videat vel visura sit. Aristophani noli dubitare quin lenissima medicina reddendum sit:

ἔλσοιμ' ὄρος, αἴ μέλλοιμί γ' εἰράναν ἰδῆν.

Lenissimam dixi medicinam; quid enim lenius, quam *ΟΓΑΙ* mutare in *ΟΡ̄ΑΙ* i. e. *ΟΡΟΣ ΑΙ?*

Vs. 179.

θύειν δοκούσαις καταλαβεῖν τὴν ἀκρόπολιν.

Non ausus sum Cobeto morem gerere τὴν πόλιν καταλαμβάνειν corrigenti, ceterum rectissime, ut mihi videtur, Aristophanem ἀκρόπολιν pro πόλιν nunquam dixisse affirmanti. Fortasse delenda sunt verba καταλαβεῖν τὴν ἀκρόπολιν, ad sententiam et structuram prorsus supervacanea, neque ad metrum necessaria, si vera sunt quae dixi ad Plut. 422.

Vs. 188.

εἰς ἀσπίδ', ὥσπερ φασὶν Αἰσχύλος ποτέ,
μηλοσφαγούσας.

Ita haec cum Brunckio edidi, libri in quibus Rav. partim φάσ' ἐν Αἰσχύλῳ, partim ut Ven. φασὶν Αἰσχύλος. Pro φασὶν B. habet φησίν. Rectum et ut nihil desideres esset hoc ὡς ἐποίησεν Αἰσχύλος ποτέ, cuius scripturae vestigia mihi in lectione R. et B. φάσ' ἐν et φησὶν cernere videor.

Vs. 189.

μὴ σύ γ' ὦ Λυσιστράτη
εἰς ἀσπίδ' ὀμόσῃς μηδὲν εἰρήνης πέρι.

Paulo insolentius quidem dictum est εἰς ἀσπίδα τι ὀμνύναι, nec tamen ideo hunc versum cum Hamakero in

interpolationis suspicionem vocaverim. Juramenta cum sacrificio erant coniuncta, ideo *ὀμνύναι* dicere potuit poeta pro *cum iuramento sacrificare.* Haec nisi sufficiunt, *ὀμόσῃς* potius corruptum quam totum versum eliminandum censuerim; ac poterit satis leni correctione scribi *εἰς ἀσπίδα θύσῃς μηδέν.*

Vs. 193.

ΛΥΣ. ποῖ λευκὸν ἵππον; ΚΑΛ. ἀλλὰ πῶς ὀμούμεθα ἡμεῖς;

Non male Hamakerus *ποῖ λευκὸν ἵππον* Calonicae assignat; probabilius tamen mihi videtur locum lacunosum esse atque post *ἵππον* aliqua intercidisse; indicare id videtur pronomen *ἡμεῖς*, magna cum vi in fine sententiae positum, quod fieri non potuit nisi aliquid praecessit, quod illi *ἡμεῖς* oppositum erat. Cum Calonica albo equo facere proposuisset, abominatur talem hostiam Lysistrata ut mali ominis neque mulierum coetui aptam, quibus venere abstinere constitutum erat. Notum est quid sit *ἵππος* apud Aristophanem. *Quid tu mihi album equum narras? veneri deditarum haec est hostia; at quomodo iurabimus nos?* Tale quid hoc loco desidero, eamque ob causam lacunam indicavi ita fere explendam:

ποῖ λευκὸν ἵππον; [τί σὺ λέγεις; ἀφροδισίων
αὕτη θυσία 'στίν·] ἀλλὰ πῶς ὀμούμεθα
ἡμεῖς;

Haec si recte disputavi, simul intelligitur verba *ἀλλὰ — ἡμεῖς*, quae vulgo Calonicae sunt, me recte Lysistratae continuasse.

Vs. 256.

ἦ πόλλ' ἄελπτ' ἔνεστιν ἐν τῷ μακρῷ βίῳ φεῦ.

Ita correxit Reisigius codicum scripturam *ἄελπτ' ἐστίν.* Fortasse tamen *ἄελπτα γίγνετ'* scribendum, ut legisse videtur Iulianus Or. III. p. 204. a. *ἦ πολλὰ γίνεται ἐν μακρῷ χρόνῳ· τοῦτο ἐκ τῆς κωμῳδίας ἀκηκοότι μοι*

πρῴην ἐπῆλθεν ἐκβοῆσαι. Nisi is respexit ad Eupolidis locum in Fragm. Com. gr. II. p. 549.

ἦ πολλά γ' ἐν μακρῷ χρόνῳ γίγνεται,
μεταλλαγαί τε πραγμάτων κυκλοῦσι,
μένει δὲ χρῆμ' οὐδὲν ἐν ταὐτῷ ῥυθμῷ.

Ita enim haec correxi in praefatione ad Stobaei Flor. vol. IV. p. 45.

Vs. 277.

ᾤχεθ' ὅπλα παραδοὺς ἐμοὶ
σμικρὸν ἔχων πάνυ τριβώνιον,
πινῶν ῥυπῶν ἀπαράτιλτος.

Multis haec partibus vitiosa sunt; primo versui, in quo *ὅπλα* sine articulo ferri non potest, in stropha est oppositus hic *κατὰ μὲν ἅγιον ἔχειν βρέτας,* alteri *κατὰ δ' ἀκρόπολιν ἐμὰν λαβεῖν,* tertio *μοχλοῖς δὲ καὶ κλῄθροισί μου.**) Quibus antithetici versus respondebunt ita correcti:

θὤπλ' ᾤχετο παραδοὺς ἐμοὶ
σμικρὸν πάνυ τριβώνιον ἔχων,
πεινῶν ἀπαράλτιλτος ῥυπῶν.

Recte etiam, ut mihi quidem videtur, *πεινῶν* scripsi e codicibus pro *πινῶν,* quod satis otiose cum *ῥυπῶν* in eadem sententia coniunctum est. Optime autem *πεινῶν* et *ῥυπῶν* coniunguntur ut Av. 1282. *ἐκόμων ἐπείνων ἐρρύπων ἐσωκράτων.* In opposito versu fortasse scribendum est *κατὰ δὲ λαβεῖν ἐμὰν πόλιν.* Versu sequente recte vulgo editur *οὕτως ἐπολιόρκησ' ἐγώ.* Dobraeus malebat *οὕτω 'ξεπολιόρκησ' ἐγώ.* Talia rarissime eximio viro exciderunt.

Vs. 285.

μή νυν ἔτ' ἐν τετραπτόλει τοὐμὸν τροπαῖον εἴη.

Poenitet hoc Aristophani reliquisse. Euripidi sane dicere licuit *λεὼν τετράπτολιν* Heracl. 81. non item

---

*) Ita enim haec scribenda suspicor, *μου* a codd. omissum ad *τὰ προπύλαια* trahendum est, *mea propulaea.*

comico poetae, communem dicendi rationem sequenti. Neque articulum facile omisisset Aristophanes. Quare non dubito quin scribendum sit *ἐν τῇ τετραπόλει*, idque tanto certius videtur, cum *τετραπτόλει* per Brunckium demum illatum sit, codd. *ἐν τετραπόλει*, R. autem *ἐν-γέτεραπόλει* habet, in quo manifesta insunt genuinae scripturae vestigia.

Vs. 340.

ὡς πυρὶ χρὴ τὰς μυσαρὰς γυναῖκας ἀνθρακεύειν.

Sunt haec minantium virorum verba, per se vitii non suspecta, sed antithetico versui non respondentia. Incerta tamen loci medela est, cum plura excogitari possint, quibus numeros restituas, velut:

ὡς πυρὶ χρὴ τὰς μυσαρὰς γρᾶας ἀπανθρακεύειν,

vel:

ὡς πυρὶ χρὴ τὰς μυσαράς, τὰς κύνας, ἀνθρακεύειν.

Quorum utrumque aptum est; *ἀπανθρακεύειν* non sine acrimonia dictum esset, *tanquam pisces super carbonibus torrere.* Neque *κύνας* displicebit, quod frequens est convicium; mutatio autem facillima est, nec raro *κύνες* et *γυναῖκες* permutata sunt, e. c. apud Theophrastum Char. XXVIII. p. 30, 18. ed. Foss. Roboris aliquid huic emendationi addit quod hoc ipsum convicium respicientes mulieres vs. 363. dicunt *κοὔ μήποτ' ἄλλη σου κύων τῶν ὄρχεων λάβηται.*

Vs. 373.

ἐγὼ μὲν ἵνα νήσας πυρὰν τὰς σὰς φίλας ὑφάψω.
ἐγὼ δέ γ' ἵνα τὴν σὴν πυρὰν τούτῳ κατασβέσαιμι.

Diversorum modorum in eadem sententiae conformatione coniunctio tam insolens est, ut verear ne aut *ὑφάψω* aut *κατασβέσαιμι* aliquid vitii susceperit. Cogitabam aliquando de restituenda coniunctivi forma *κατασβέσωμι*, cuius etsi nullum apud atticos poetas exemplum est, fortasse tamen sic scripsit Aristophanes, metri opinor necessitate coactus, quemadmodum etiam

ἔναντα, quae mere poetica forma est, dixit Equ. 342. et *Ἀχαρνηίδαι* pro *Ἀχαρνῆς* Acharn. 322. Alii fortasse *ὑφάψαιν* = *ὑφάψαιμι* praeferent, de qua forma novissime Bekkerus dixit Homerische Blätter p. 112.

Vs. 376.

οὐκ οἶδά σ' εἰ τῇδ' ὡς ἔχω τῇ λαμπάδι σταθεύσω.

Elegans est Cobeti coniectura *οὐκ οἶδ' ἂν εἴ σε τῇδ' ἐγώ*, qui potuisset etiam *οὐκ οἶδ' ἂν εἰ τῇδί σ' ἐγώ*, quae etiam lenior est medela, si tamen medela opus est; certe *ὡς ἔχω* peraptum est, nec traiectio pronominis offensioni esse potest. Ceterum scholion huic versui adscriptum *τὸ γὰρ μικρὸν οὖν καίειν σταθεύειν λέγεται*, sic refingendum est *τὸ κατὰ μικρὸν γοῦν καίειν*.

Vs. 395.

ἧ δ' ὑποπεπωκυῖ' ἡ γυνὴ 'πὶ τοῦ τέγους.

Est haec eadem mulier, quam respiciens vs. 389. dixerat *ὅ τ' ἀδωνιασμὸς οὗτος οὑπὶ τοῦ τέγους*. Malim igitur *ἡ γυνὴ ἡ 'πὶ τοῦ τέγους*, eadem crasi qua Thesm. 536. legitur *εἰ δὲ μὴ ἡμεῖς*, quam frustra Porsonus expellere conatus est.

Vs. 416.

ὦ σκυτοτόμε τῆς μου γυναικὸς τοῦ ποδός
τὸ δακτυλίδιον πιέζει τὸ ζυγόν.

Duplex vitium, quod his inesse intellexit Porsonus, idem ita sustulit, ut satis violenta verborum traiectione locum ita refingeret *ὦ σκυτοτόμε τὸ δακτυλίδιον τοῦ ποδὸς | τοῦ τῆς γυναικός μου πιέζει τὸ ζυγόν*. Opposuit his quaedam Engerus, cui assentior eam verborum collocationem, qua *τὸ δακτυλίδιον* principio, *τῆς γυναικός μου* autem postremo loco ponitur, non aptam huic loco iudicat. In eo tamen non assentior viro doctissimo, quod *τοῦ τῆς γυναικός μου ποδὸς* edidit et altero versu *ἐμπιέζει* scripsit pro *πιέζει* cum Reisigio; in tali re *πιέζειν* dicitur constanti Graecorum usu, non *ἐμπιέζειν*,

nec magis *συμπιέζειν* probari potest, quod nuper a viro docto coniectum memini. Equidem primum versum unius voculae transpositione ita restitui:

ὦ σκυτοτόμε μου τῆς γυναικὸς τοῦ ποδός —

in quo *μου* ad *τῆς γυναικὸς* referendum est, prorsus ut Thesmoph. 744. *ὦναισχυντέ μου τὸ παιδίον* et Equit. 910. *ὦ Δῆμέ μου πρὸς τὴν κεφαλὴν ἀποψῶ*, aliisque locis plurimis. Minus expedita secundi versus emendatio, in quo quod *δακτυλίδιον* media longa legitur Lobeckius ad Buttmanni Gramm. graec. vol. II. p. 442. ita defendere conatus est, vix ut grammaticorum assensum laturus sit. Credo equidem poetam scripsisse:

τὸ δακτυλίσκιον πιέζει τὸ ζυγόν.

Non rara sunt talium *ὑποκοριστικῶν* exempla; *κανίσκιον* (*κανῆς, κανίσκος*) ipse habet Aristophanes apud Polluc. X, 91. *λυχνίσκιον* (*λύχνος, λυχνίσκος*) legi nescio nunc in qua glossa Hesychii, *σταμνίσκιον* habes apud Photium v. *προχοΐδιον*. Etiam *μαγειρίσκιον* alicubi me reperire memini. Adde *γυναικίσκιον* ab Hesychio allatum.

Vs. 481.

ὅ τι βουλόμεναί ποτε τὴν Κραναὰν
κατέλαβον, ἐφ' ὅ τι τε
μεγαλόπετρον ἄβατον ἀκρόπολιν
ἱερὸν τέμενος.

Vs. 544.

μετὰ τῶνδ' ἀρετῆς . . ἕνεχ', αἷς
ἔνι φύσις, ἔνι χάρις,
ἔνι θράσος, ἔνι δὲ σοφόν, ἔνι φιλόπολις
ἀρετὴ φρόνιμος.

Coniunctim apposui strophicos et antistrophicos versus, quo melius res diiudicari possit. Dixit de his post alios novissime Engerus qui vs. 481. pro *ὅ τι βουλόμεναι* scripsit *ἐφ' ὅτῳ*. Ego, ut vides, antitheticum versum 544. potius corruptum esse statui, post *ἀρετῆς* excidisse ratus *μεγάλης* vel simile quid. Mancus item vs. 483. in cuius

initio *ποτε* supplebam et pro *ἀκρόπολιν* coniciebam *ἀκρόπολι*, id ut adiectivum esset; in hiatu non haerendum est. Vs. 574. *δὲ* delendum est.

Vs. 531.

περὶ τὴν κεφαλήν; μή νυν ζῴην·
ΛΥΣ. ἀλλ' εἰ τοῦτ' ἐμπόδιόν σου.

Haec vulgo ad unum tetrametrum coniuncta sunt. Inde a vs. 531. systema dimetricum ordiri, cui inde a vs. 598. antisystema respondet, intellexit Engerus, minus probabiliter tamen, ut dimetrum restitueret, corrigens *ἀλλ' εἰ τουτί σοὐστ' ἐμπόδιον*, cum posset lenius *ἀλλ' εἰ τοῦτ' ἐμπόδιόν σοὐστιν*. In sequentibus versibus:

παρ' ἐμοῦ τουτὶ τὸ κάλυμμα λαβὼν
ἔχε καὶ περίθου περὶ τὴν κεφαλήν,
κᾆτα σιώπα —

in his igitur pro *περίθου* nescio an rectius scribatur *περιδοῦ*, siquidem *τὰ κάλυμμα* fasciae instrar capiti potius circumligabant mulieres quam circumponebant. Verba *κᾆτα σιώπα* paroemiaci reliquias continere vidit Engerus, versum hunc ita refingens *ὡδὶ κἄπειτα σιώπα*. Quae cum incerta sit medela, malui lacunam indicare, praesertim cum post haec verba unum versum a muliere prima recitatum excidisse recte monuerit Engerus, sequentem versum, qui vulgo Lysistratae continuatur, alteri mulieri tribuens. In eo autem falli credo Engerum, quod versus eius, quem prima mulier recitaverat, hanc sententiam fuisse dixit *καὶ ταυτηνὶ λαβὲ τὴν ζώνην*, cum probabilius sit mulierem istam aliquid quod ad lanificium spectaret dixisse, e. c. *καὶ τόνδε πόκον δέξαι παρ' ἐμοῦ*, vel aliud quid in eandem sententiam.

Vs. 539.

ἀπαίρετ' ὦ γυναῖκες ἀπὸ τῶν καλπίδων, ὅπως ἂν
ἐν τῷ μέρει χἠμεῖς τι ταῖς φίλαισι συλλάβωμεν.

Ita si haec scripta in codicibus legerentur, neminem sane offenderent: codices autem *αἴρεσθ'* habent, quod in

ἀπαίρετ' Brunckius demum mutavit, quem praeter Dindorfium secutus est Engerus. Ac favet Brunckio scholiastae interpretatio ἀναχωρήσατε, comparata cum glossa Hesychii Ἀπαίρει· ἀναχωρεῖ. Non acquievit tamen in hoc conatu Porsonus, cui olim αἴρεσθε νῦν, postea αἴρεσθ' ἄνω scribendum videbatur. Cf. Kiddium ad Dawesii Miscell. p. 436. Ad veram scripturam ducere videtur Brubach., ex qua enotatur αἴρεσθε δ' i. e. ut equidem opinor ΑΙΡΑΙCΘΑΙΔ, ex quo sua sponte emergit:

ἄραισθ' ἂν ὦ γυναῖκες ἀπὸ τῶν καλπίδων —

quae notissima est iubentium dicendi forma, ut Ran. 437. αἴροι' ἂν αὖθις ὦ παῖ.

Vs. 553.

κᾆτ' ἐντέξῃ τέτανον τερπνὸν τοῖς ἀνδράσι καὶ ῥοπαλισμούς.

Barbaram formam ἐντέξῃ alii aliter tollere conati sunt. Hirschigius ἐνστάξῃ coniecit, quod unice probat Cobetus. Recte dici ἐνστάζειν μένος, ἵμερον, ἔρωτα et similia notissimum est, at σπασμοὶ καὶ ῥοπαλισμοὶ quo pacto *instillari* possint, fateor me non intelligere. Nec magis satisfacit quod Bergkius proposuit ἐντήξῃ. Fortasse verum est quod ipse posui ἐντείνῃ. In sequente versu nulla causa est cur ἂν scribatur pro ἐν, καλεῖσθαι futurum est.

Vs. 627.

καὶ λαλεῖν γυναῖκας οὔσας ἀσπίδος χαλκῆς πέρι.

Χαλκῆς satis otiosum est clipei epitheton, ac nescio an sensus sit mulieres tanquam fabros ferrarios loqui de clipeo. De hac accusativi forma nominum in ευς quantum satis est dictum in Hist. crit. p. 469.

Vs. 709.

ποιεῖ μ' ἄθυμον περιπατεῖν τ' ἄνω κάτω.

Bergkius recte sensit haec non satis integre scripta esse, ideoque τ' post περιπατεῖν expungit. Magis placeret ποιεῖ μ' ἀθυμεῖν περιπατεῖν τ' ἄνω κάτω.

Vs. 723.

τὴν δ' ἐπὶ στρούθου μίαν
ἤδη πέτεσθαι διανοουμένην κάτω
ἐς Ὀρσιλόχου χθὲς τῶν τριχῶν κατέσπασα.

In his *χθὲς* si sanum est *'χθὲς* scribendum fuerit. At quid est quod heri se istam mulierem a volatu retinuisse dicit? quae mirifica est temporum perturbatio. Scribendum videtur *τρίς*. In *μίαν* per se nulla est offensionis causa; fortasse tamen *Μίκαν* scribendum, cui coniecturae ex eo aliquid roboris accedit, quod etiam moechus prurientis mulieris nomine appellatur. Nomen *Μίκα*, cum *Μίκων*, quod prima correpta dicitur Lysistr. 679. et Theocr. V, 112. cognatum est, legiturque etiam Thesm. 760. ubi citra necessitatem praeeunte Lobeckio cum aliis *Μίκκα* edidi; idemque restituendum videtur Eccles. 153. Hyperidis oratio *ὑπὲρ Μίκας* laudatur a Polluce VII, 191. et X, 39. quod *Μίκκας* viri docti scripserunt, nescio an sine causa. Certius videtur pro *κατέσπασα*, quod cum *κάτω πέτεσθαι διανοουμένην* aegre coit, refingendum esse *ἀνέσπασα*, *e fuga retraxi.*

Vs. 726.

πάσας τε προφάσεις ὥστ' ἀπελθεῖν οἴκαδε
ἕλκουσιν.

Pro *ἕλκουσι* Wakefieldus *πλέκουσιν* tentabat; aut hoc verum videtur, aut quod ego conieci *λέγουσιν.*

Vs. 740.

ἔγωγ' ἀποδείρασ' αὐτίκα μάλ' ἀνέρχομαι.

Revocanda est, quam alios sequutus improbavi, Rav. aliorumque codd. scriptura *ἀπέρχομαι.* Dindorfius commendavit Kusteri coniecturam *ἐπανέρχομαι* sensui aptam, sed metro inimicam. Recte habet *ἀπέρχομαι*, sc. e domo mea. Male Brunckius *me actutum inde huc redituram esse.* Id neque *ἀπέρχομαι*, quod Brunckius recepit, significat neque *ἀνέρχομαι*, quod non habet redeundi potestatem.

Vs. 742.

ὦ πότνι' Εἰλείθυι' ἐπίσχες τοῦ τόκου.

Verbis ὦ *πότνι' Εἰλείθυια* plus semel utuntur poetae comici, prima in *πότνια* producta, quae res indicio est ea ex nobili quadam tragici poetae fabula desumpta esse. Ea autem vix alia esse potest quam Euripidis Auge, in quo dramate poeta Augen in templo Minervae parturientem et Ilithyiae opem implorantem fecerat. V. Schol. Aristoph. Ran. 1112. Credo autem totum hunc versum Euripidis esse, cui suspicioni ne quis numeros adversari credat, Euripidem ego *ἐπίσχε* scripsisse suspicor.

Vs. 760.

ἐγὼ δ' ὑπὸ τῶν γλαυκῶν γε τάλαιν' ἀπόλλυμαι
ταῖς ἀγρυπνίαισι κακκαβαζουσῶν ἀεί.

Recte vidit Reisigius *γε* non suo loco positum esse, quare corrigit *ἐγὼ δέ γ' ὑπὸ γλαυκῶν τάλαιν' ἀπόλλυμαι.* Sed articulo careri vix potest; certas enim noctuas intelligit poeta, in acropoli Atheniensium; atque ut supra *τὸν ὄφιν* poeta dixerat, ita hic etiam debebat *τῶν γλαυκῶν.* Itaque malim:

ἐγὼ δέ γε τῶν γλαυκῶν τάλαιν' ἀπόλλυμαι —

ὑπὸ additum ab imperito librario, qui non videret verborum ordinem esse *ἐγὼ δέ γε ταῖς ἀγρυπνίαις ἀπόλλυμαι τῶν γλαυκῶν ἀεὶ κακκαβαζουσῶν.* Verbum *κακκαβάζειν* proprie de noctuis dici constat; pro eo *ἀνακράζειν* dixit Menander Fragm. Com. IV. p. 230. *ἂν γλαὺξ ἀνακράγῃ δεδοίκαμεν*, unde intelligitur recte Fossium Theophrasto Char. XVI. p. 18, 17. reddidisse *κἂν γλαῦκες βαδίζοντος αὐτοῦ (τοῦ δεισιδαίμονος) ἀνακράγωσι, ταράττεσθαι καὶ εἴπας 'Ἀθηνᾶ κρείττω' οὕτω παρελθεῖν.* Sic enim, *Ἀθηνᾶ κρείττω*, scribendum pro *Ἀθηνᾶ κρείττων*, quod nihil est. Nota est dicendi formula *di meliora!*

Vs. 776.

ὄρνεον οὐδ' ὁτιοῦν καταπυγωνέστερον εἶναι.

Nil mutant libri nisi quod V. *καταπυγωνίστερον* habet; a *καταπύγων* comparativus formatur *καταπυγονώ-*

τερος vel καταπυγονέστερος. Non dubium igitur quin locus corruptus sit, quae etiam Dobraei sententia fuit, καταπυγότερον ποτ' ἂν εἶναι corrigentis. Fortasse scribendum ὀρνέων οὐδ' ὁτιοῦν καταπυγότερον γένος εἶναι. In eiusdem oraculi versu primo (774) pro ἀναπτῶνται scribendum ἀνάπτωνται.

Vs. 801.

καὶ Μυρωνίδης γὰρ ἦν τραχὺς ἐντεῦθεν μελάμπυ-
γός τε τοῖς ἐχθροῖς ἅπασιν,
ὣς δὲ καὶ Φορμίων.

Verissime intellexit Engerus in ultimo pede versus secundi necessario requiri syllabam longam, quam quidem ita restituere conatus est ut tertio versu χὣς scribendum censeret; non credo hoc probari posse, vitiumque potius in ἅπασιν latere suspicor, cui si ἁπαντῶν substituas, simul etiam τοῖς ἐχθροῖς habet unde aliquanto melius suspensum sit quam a μελάμπυγος. Praeterea favet huic rationi proverbialis dictio inde ab Archilocho usitata, μή τευ μελαμπύγου τύχῃς, de qua v. interpretes Hesychii v. Μή τευ et Zenobii V, 10. quorum testimoniis adde comicum incertum apud Eustathium ad Il. p. 863, 31. οὔπω μελαμπύγῳ γ' ἐνέτυχες. Ita enim scribendum est.

Vs. 812.

οὗτος ἄρ' ὁ Τίμων
ᾤχεθ' ὑπὸ μίσους.

Deesse versiculum strophici versus ostendunt monuitque Hermannus, minus bene tamen post μίσους lacunam indicans, cum post Τίμων debuerit. Verba ipsa quae exciderint satis tuto restitui possunt:

οὗτος ἄρ' ὁ Τίμων
[εἰς ἀγρὸν ἔρημον]
ᾤχεθ' ὑπὸ μίσους.

Vs. 815.

οὕτω τοὺς πονηροὺς ἄνδρας ἀεὶ
'κεῖνος ὑμῖν ἀντεμίσει.

Ita transposui haec verba quae vulgo hoc ordine leguntur *οὕτω κεῖνος ὑμῖν ἀντεμίσει τοὺς πονηροὺς ἄνδρας ἀεί*, cuius rei hanc causam habui, quod ita demum antithetici versus:

οὕτω τὰς γυναῖκας ἐβδελύχθη
'κεῖνος, ἡμεῖς τ' οὐδὲν ἧττον,

apte atque ut decebat illis oppositi sunt. Praeterea *κεῖνος* utroque loco cum coronide scripsi.

Vs. 831.

ἄνδρ' ἄνδρ' ὁρῶ προσιόντα παραπεπληγμένον,
τοῖς τῆς Ἀφροδίτης ὀργίοις εἰλημμένον.

Non apparet unde compertum habeat Lysistrata virum, quem accedere videt, Veneris orgiis percitum esse. Quod cum ex eo, quod ille non recta via incedebat, nullo pacto colligere potuerit, suspicatus sum in *παραπεπληγμένον* aliquid latere, ex quo coniecturam capere potuit. Nisi fallor, Cinesias cruribus divaricatis incedebat, prorsus ut Lacedaemonii in hac ipsa fabula, quos eodem morbo laborantes graphice describit poeta vs. 1003. *ᾇπερ λυχνοφορίοντες ὑποκεκύφαμες*. Itaque suspicor Aristophanem scripsisse:

ἄνδρ' ἄνδρ' ὁρῶ προσιόντα διαπεπλιγμένον,

quo ipsum illud quod volebam aptissime indicatur, *divaricatis pedibus incedentem*, ut est apud Archilochum fragm. 60.

οὐ φιλέω μέγαν στρατηγὸν οὐδὲ διαπεπλιγμένον.

De hoc verbo multi multa, recentissime aetate optime disputavit Cobetus Var. Lect. p. 135. Nec iusto violentiorem esse mutationem ostendunt non rara praepositionum *παρὰ* et *διὰ* inter se permutatarum exempla.

Vs. 906.

φιλεῖς; τί οὖν οὐ κατεκλίνης ὦ μυρτίον.

Recepi coniecturam Engeri, libri fere *ὦ μύρριον*, at Rav. Aug. et Iunt. *ὦ μυρρίνιον*. Dobraeus *Μυρρινίδιον* coniecit deleto *ὦ*, non improbante Dindorfio. Engerus attulit schol. Thesmoph. 289. *ὡς τῆς θυγατρὸς αὐτοῦ κατ' ἐπίκλησιν οὕτω* (*Χοιρίον*) *καλουμένης· οἷον βοΐδιον ἢ χρυσίον ἢ μυρτίον.* Adde Hesychii glossam *Κατάλογον· τὸ μύρτον*, quam ita refingendam esse conieci *Κατὰ λόγον τὸ Μυρτίον*, ut sit comici versus particula in hunc sensum interpretanda *via et ratione Myrtium fecit.* Excidit autem, quod saepe usu venit, interpretatio. Ad nostrum versum ut redeam, dubitare tamen coepi de veritate Engeri coniecturae quantumvis elegantis, ac nescio an optimorum librorum scriptura revocanda sit *ὦ Μυρρίνιον*, quod legitimum est nominis *Μυρρίνη* deminutivum. De quo si recte statuo, habemus novum et valde memorabile exemplum ultimae in iambico trimetro solutae, cuius unum adhuc, sed omni dubitationi exemptum exemplum legebatur in Ran. 1203. Non nescio tamen quid inter utrumque locum intersit.

Vs. 924.

Μ. ἰδού. Κ. παπαιάξ· ἧκέ νυν ταχέως πάνυ.

Non ut *cito veniret* Myrrhina dicendum erat Cinesiae, sed ut *cito rediret.* Itaque *πάλιν* pro *πάνυ* scribendum videtur cll. Pac. 845. *καὶ ταῦτα δράσας ἧκε δεῦρ' αὖθις πάλιν.* Eandem ob causam Pac. 275. pro *ἧκέ νυν ταχύ* scripserim *ἧκέ νυν τάχ' αὖ.* Nec quod in Lysistr. 935. habes *ταχὺ γὰρ ἔρχομαι* est *cito redeo*, sed *citato gressu eo.* Ibid. vero 912. *καὶ πῶς ἔθ' ἁγνὴ δῆτ' ἀνέλθοιμ' ἐς πόλιν*, ubi Brunckium secutus *ἂν ἔλθοιμ'* edidi, praestat fortasse *καὶ πῶς ἔτ' ἂν ἁγνὴ δὴ 'πανέλθοιμ' ἐς πόλιν*, nisi sufficit *καὶ πῶς ἔθ' ἁγνὴ δῆτ' ἂν ἀνέλθοιμ' ἐς πόλιν*, *in arcem ascenderim.* Vs. 731. *οὐκ εἶ πάλιν; ἀλλ' ἥξω ταχέως* ad *ἥξω* e praecedentibus *πάλιν* assumendum est.

Vs. 931.

τὸ στρόφιον ἤδη λύομαι· μέμνησό νυν.

Cobetus *ἤδη 'κδύομαι* coniecit. At strophium recte *λύεσθαι* dici ostendit ipse Aristophanes apud Pollucem VII, 67. *τὸ στρόφιον λυθὲν τὰ κάρυα μοὐξέπιπτεν.* Cf. Thesmoph. 638. *χάλα ταχέως τὸ στρόφιον.*

Vs. 933.

Κ. νὴ Δί' ἀπολοίμην ἆρα. Μ. σισύραν οὐκ ἔχεις.

Ita Brunckius edidit, quem secuti sunt omnes; libri *ἄρα* habent, quod in fine sententiae Aristophanes plus semel posuit; sed *ἆρα* sic positum nonnihil offensionis habet. Accedit quod *σισύραν οὐκ ἔχεις* iusto abruptius praecedentibus inferuntur; quare edidi:

Κ. νὴ Δί' ἀπολοίμην. Μ. ἀλλὰ σισύραν οὐκ ἔχεις.

Pro *σισύραν* Bergkius ubique apud Aristophanem *σίσυραν* edidit; at recte libri *σισύραν* habent. Substantiva feminina in *υρα* exeuntia ultimam producunt quando penultima corripitur, corripiunt quando producitur. Recte igitur *σισύρα* ut *κιχύρα* et alia, recte item *Κέρκυρα, ἄγκυρα.* Exceptionem facit *κολλύρα.* V. Arcad. p. 194, 15.

Vs. 942.

οὐχ ἡδὺ τὸ μύρον μὰ τὸν Ἀπόλλω τουτογί.

Haec ferri posse quis infitias ibit? et tamen aliquid vitii locum traxisse suspicor. Myrrhina Cinesiae unguentum attulerat, quo in manus sumto res ipsa postulare videtur ut Myrrhina quaereret, an non suaviter oleret. Cf. Menander Com. IV. p. 148. *οὐχ ἡδὺ τὸ μύρον; πῶς γὰρ οὔ;* Itaque scribendum suspicor *οὐχ ἡδὺ τὸ μύρον;* ut Myrrhinae haec tribuantur. Quibus Cinesias regerit *μὰ τὸν Ἀπόλλω οὒ τουτογί.*

Vs. 944.

τάλαιν' ἐγὼ τὸ ῥόδινον ἤνεγκον μύρον.

Legebatur *ῥόδιον*, quod eam ob causam *ῥόδινον* scripsi, quoniam *ῥόδιον μύρον* nisi de Rhodio unguento intelligi non potest. Idem Bergkius coniecit.

Vs. 951.

ἀλλ' ὅπως ὦ φίλτατε
σπονδὰς ποιεῖσθαι ψηφιεῖ. KIN. βουλεύσομαι.

Parum apte Cinesias neque ad consilium suum accommodate se ea de re deliberaturum respondet mulieri. Scribendum videtur *βουλήσομαι*. Cfr. ad Oedipum Col. 1289. Ac fortasse etiam Pac. 231. *βουλήσεται* scribendum est.

Vs. 959.

ἐν δεινῷ γ' ὦ δύστηνε κακῷ
τείρει ψυχήν —

Non recte dictum esse *ἐν δεινῷ κακῷ τείρεσθαι* animadvertit Cobetus, qui *ᾖ* scripsit pro *ἐν*. Scribendum potius erat *ἐν δεινῷ γ' ὢν δύστηνε κακῷ*.

Vs. 962.

ποῖος γὰρ ἂν ἢ νέφρος ἀντίσχοι,
ποία ψυχή, ποῖοι δ' ὄρχεις.

Ferri non potest disiunctiva particula ante *νέφρος*, quod qui intellexit Dindorfius ediderat *ποῖος δ' ἂν νέφρος*, in adnotatione tamen ad vulgatam lectionem rediit. Codices nihil variant, nisi quod Voss. et *Δ ἂν* omittunt. Dum meliora reperientur, scripsi *ποῖος γὰρ ἔτ' ἂν νέφρος*, Bergkius edidit *ποῖος γὰρ νέφρος ἂν ἀντίσχοι*, prima in *νέφρος* contra usum producta. Pro *ψυχή* Hamakerus et iam ante hunc Brunckius *ψωλή* scripserunt, facetissimum poetae lusum inficeta correctiuncula obscurantes.

Vs. 970.

μὰ Δί' ἀλλὰ φίλη καὶ παγγλυκερά.
ποία γλυκερά; μιαρὰ μιαρὰ
δῆτ' ὦ Ζεῦ ὦ Ζεῦ.
εἴθ' αὐτὴν ὥσπερ τοὺς θωμούς —

Primum horum versuum vulgo Cinesiae tributum Bergkio praeeunte mulierum choro attribui causam Myrrhinae defendenti et viris respondenti. Sequentia ad-

posui ut in libris scripta sunt; ea alii aliter tentarunt, Reisigius *μιαρὰ μιαρὰ δῆτ' ὦ Ζεῦ,* Engerus *μιαρὰ μιαρὰ δῆτ' ὦ Ζεῦ Ζεῦ,* Bergkius denique servata librorum scriptura alterum *ὦ Ζεῦ* cum sequentibus coniunxit, personis sic distinctis: *KIN. ποία γλυκερά; μιαρὰ μιαρὰ δῆτ' ὦ Ζεῦ. ΧΟΡ. ΓΕΡ. ὦ Ζεῦ, εἴθ' αὐτὴν κτέ.* Ne sic quidem haec satis commode praecedere mihi visa sunt. Veram rationem ostendit opinor particula *δῆτα,* quae cum saepissime eo consilio adhibeatur, ut confirmet sententiam ab alio propositam, locum ita constitui:

ΧΟΡΟΣ ΓΕΡ. ποία γλυκερά; μιαρὰ μιαρά.
ΚΙΝΗΣΙΑΣ. μιαρὰ δῆτ' ὦ Ζεῦ ὦ Ζεῦ.
εἴθ' αὐτὴν ὥσπερ τοὺς θωμούς —

In quo nil mutavi nisi quod *μιαρὰ* post alterum *μιαρὰ* iteravi. Omnia autem ista Cinesiae rectius assignari quam choro virorum apertum est. Articulum ante *θωμοὺς* Engerus sine iusta causa, ut mihi videtur, suspectavit. Cf. Lys. 1255. *ᾇπερ τὼς κάπρως,* ut alia mittam.

Vs. 986.

οὐ τὸν Δί' οὐκ ἐγών γα.

Brunckius et Bothius *μὰ τὸν Δί'* ediderunt, quod probandum esset, si haec ab attico homine dicerentur, qui in communi sermone nunquam dixere *οὐ τὸν Δία, οὐ τὼ θεώ;* at dixerunt ita Dorienses et in altiore sermone etiam poetae attici, velut *οὐ τὰν Διὸς ἀστραπάν* Sophocles El. 1052. et *οὐ τὸν Ὄλυμπον* idem Oed. R. 1090. Antig. 758.

Vs. 996.

Πελλάνας δὲ δεῖ.

Scribendum erat *δῆ,* quod recte nunc legitur vs. 1076. idemque vs. 144. restituendum est. Laconicae formae item obliteratae sunt vs. 999. ubi cum Bergkio scribendum *ἁμᾶ,* vs. 1027. ubi *ἵκομες* et 1180. ubi *γῶν* reponendum est. Vs. 84. rectius esse videtur *ἱερῆον* quam *ἱερεῖον.*

Vs. 1078.

βαβαί· νενεύρωται μὲν ἥδε συμφορὰ
δεινῶς, τεθερμῶσθαι δὲ χεῖρον φαίνεται.

Postrema, in quibus pro δὲ codd. γε habent, intelligi non possunt. Scholiastae haec est annotatio: ἀντὶ τοῦ χεῖρον τῆς τάσεως τοῦ Ἑρμοῦ φαίνεται, qui etsi quid in suo libro habuerit, non satis apparet, hoc tamen intelligitur, aliquid de hermis dictum eum hic legisse. Suspiceris τὸ δ' ἡρμῶσθαί (vel ἑρμοῦσθαί) γε χεῖρον φαίνεται, *hermarum sortem subire peius est.* Attuli haec, non quod vera esse credam, sed si forte acutiores probabiliora extundant.

Vs. 1098.

ὦ πολυχαρίδα δεινά κα 'πεπόνθεμες,
αἴ κ' εἶδον ἁμὲ τὤνδρες ἀναπεφλασμένως.

Libri et hic et vs. 1242. habent πολυχαρίδα, cui Bentleius sequentibus Dindorfio Bothioque πουλυχαρίδα, Engerus autem πωλυχαρίδα substituit. Praetuli his πολυχαρείδα, ad πολυχάρης referendum, ut in Acharn. 219. Λακρατείδη ad Λακράτης, ubi item libri habent Λακρατίδη. De sequentibus in annotatione critica dictum est. Altero versu requiro ἀμπεφλασμένως. Cf. 106. ἀμπτάμενος, 171 ἀμπείσειεν et 1310 ἀμπάλλοντι. Ibidem contra leges syntacticas dictum est αἴ κ' εἶδον. Libri omnes habent αἴ κ' ἴδον. Scripsi αἰ εἶδον i. e. αἰ Fεῖδον. Sed incertae fidei haec forma est pro ἔνιδον, de qua dixit Nauckius Bulletin de l'Acad. de St. Pétersb. VI. p. 15. Coniciebam αἰ τὤνδρες ἁμέ γ' ἔνιδον ἀμπεφλασμένως.

Vs. 1109.

δεινὴν ἀγαθὴν φαύλην σεμνὴν ἀγανὴν πολύπειρον.

Ut versum uno pede minorem complerem post φαύλην addidi quod facile excidere potuit ἀφελῆ. Egregia autem arte varias Lysistratae virtutes ita composuit poeta, ut quae sibi oppositae essent δεινὴν ἀγαθὴν et σεμνὴν ἀγανὴν coniungeret, his medio loco cognatas φαύλην ἀφελῆ interponeret, ultimo denique loco poneret ab omnibus diversam πολύπειρον.

Vs. 1125.

αὐτὴ δ' ἐμαυτῆς οὐ κακῶς γνώμης ἔχω.

Parum eleganter, si quid iudico, duplicem genetivum sic coniunxit, alter ut ab altero suspensus sit, quod quamquam etiam aliis locis factum est, horum tamen paulo alia est ratio, nec quidquam impediebat poetam quo minus scriberet:

αὐτὴ δ' ἀπ' ἐμαυτῆς οὐ κακῶς γνώμης ἔχω,

praesertim cum in opposita sententia item praepositione usus sit, τοὺς δ' ἐκ πατρὸς — λόγους ἀκούσασ' οὐ μεμούσωμαι κακῶς.

Vs. 1131.

Ὀλυμπίασιν, ἐν Πύλαις, Πυθοῖ· πόσους
εἴποιμ' ἂν ἄλλους, εἴ με μηκύνειν δέοι.

Nullam fidem habeo scholiastae primum versum ex Euripide translatum dicenti: ὅλος ὁ ἴαμβος λέλεκται ἐξ Ἐρεχθέως. At immunis culpae scholiasta est, qui adscripserat hanc annotationem ad vs. 1135.

εἷς μὲν λόγος μοι δεῦρ' ἀεὶ περαίνεται.

Quam non vanam coniecturam esse intelligitur ex grammatico apud Bachmannum Anecd. I. p. 191, 27. ubi hic ipse versus disertim Euripidi tribuitur. Monui ea de re in Bergkii Annalibus Scient. Antiq. 1843. p. 293. quod fugit Nauckium ad Eurip. fragm. 365. Ad πόσους Berglerus intelligit βωμούς, neque dissentiunt ceteri. Mihi vero haec durissima ratio esse videtur nec ullo modo ferenda. Subest haud dubie vitium, quod ita tolli posse videtur, ut scribatur:

εἴποιμ' ἂν ἀγόρους, εἴ με μηκύνειν δέοι.

Quae si vera est coniectura, hunc quoque versum ex Euripide translatum dicerem, apud quem frequens vocabuli ἄγορος usus est, apud alios autem tam rarus, ut non mirandum sit in Aristophanis loco ἀγόρους in ἄλλους corruptum esse. Est autem tota illa Lysistratae oratio inde a vs. 1122. referta locorum ex Euripidis fabulis ductorum.

Vs. 1148.

ἀδικοῦμες· ἀλλ' ὁ πρωκτὸς ἄφατον ὡς καλός.

Abhorrentem a laconico sermone formam ἀδικοῦμες incertam facit codicum scriptura ἀδικιοῦμες i. e. ἀδικίομες. Quod nunc editur Iunt. habet; ἀδικίομες ediderunt recentiores recteque ediderunt, sed cum metrum ita iuguletur (neque enim probari potest Engeri opinio ἀδικίομες quatuor syllabis efferendum esse dicentis), intactam reliqui editam scripturam. Non dubium mihi quin versus interpolatus sit, Aristophanes autem scripserit ἀδικίομες· ὁ δὲ πρωκτός. Quod statim sequitur ἄφατον ὡς καλός Bentleio debetur, libri enim ἄφατος καὶ καλός. Quod etsi scite emendatum sit, fortasse tamen leniore mutatione ita refingi potest, ut ἁπαλὸς καὶ καλὸς reponatur. Quae coniunguntur etiam Av. 667. ὡς καλὸν τοὐρνίθιον ὡς δ' ἁπαλόν et in hac ipsa fabula 1063. κρέ' ἕδεσθ' ἁπαλὰ καὶ καλά.

Vs. 1153.

πολλοὺς δ' ἑταίρους Ἱππίου καὶ ξυμμάχους,
ξυνεκμαχοῦντες τῇ τόθ' ἡμέρᾳ μόνοι —

Multum trepidant interpretes de ξυνεκμαχοῦντες, neque iniuria, sive enim id verbum *profligare hostem ex aliqua regione*, sive *iuncta cum altero opera* interpretere, neutrum cum primaria notione conciliari potest. Quare corruptum esse puto locum et mutata interpunctione scribendum conicio:

πολλοὺς δ' ἑταίρους Ἱππίου καὶ ξυμμάχους
ξυνεκμοχλοῦντες τῇ τόθ' ἡμέρᾳ μόνοι —

Nimirum Hippias cum sociis in arcem confugerat, quos Lacedaemonii iuncta cum Atheniensibus opera vectibus admotis ex Pelasgico exturbarunt. Cfr. Herodotus V, 64. Verbo συνεκμοχλεύειν ipse usus est Aristophanes Lys. 429. qui alteram formam μοχλοῦν posuit in fragmento apud Polluc. X, 25. μόχλωσον τὴν θύραν.

Vs. 1165.

μὰ τὸν Ποσειδῶ τοῦτο μέν γ' οὐ δράσομεν.

Ita haec scripsi Cobetum secutus; vulgo contra sententiam loci δράσετε, quod frustra explicare conatus est Heindorf. ad Platonis Soph. p. 403. Fortasse tamen servari potest librorum scriptura personarum vicibus ita distinctis:

ΑΘ. μὰ τὸν Ποσειδῶ τοῦτο μέν γ' — ΛΥΣ. οὐ δράσετε;
ἄφετ' ὠγάθ' αὐτοῖς.

Cunctabundi Atheniensis orationem interpellat Lysistrata.

Vs. 1174.

ἐγὼ δὲ κοπραγωγῆν γα πρῴ καὶ τὼ σιώ.

Biseti haec scriptura est, cum libri in πρῶτα consentiant; at πρῴ mere attica est forma, qua Laconas usos esse nisi exemplis allatis non credam. Reisigio λῶ scribendum videbatur recepitque hoc Engerus. Sed neque hoc nec quod Bergkius voluit πρόκα probabile est. Scribendum opinor προτί, quod adverbiascit ut atticum πρός. Hoc ad sententiam accommodatissimum est. Ego, Atheniensis dixerat, actutum arare volo; et ego, Laco subicit, praeterea agrum stercorabo. Utrique autem subest ambigua spurcities.

Vs. 1243.

ἵν' ἐγὼ διποδιάξω τε κἀείσω καλὸν
ἐς τὼς Ἀσαναίως τε κῆς ἡμᾶς ἅμα.

Ita Brunckius; pro κῆς ἡμᾶς, quae Brunckii emendatio est, libri καὶ ἡμᾶς et καὶ ἐς ἡμᾶς habent. Neque ἡμᾶς in laconico sermone ferendum neque καλὸν substantivo carere potest; illud qui intellexit Engerus coniecit τε χἄμ' αὐτὼς ἅμα. Vero proximus erat Bergkius τε κῆς ἅμ' ᾆσμ' ἁμᾷ. Sed pro ᾆσμα desidero ἄεισμα, quemadmodum etiam primo versu legitur ἀείσω. Itaque edidi:

ἐς τὼς Ἀσαναίως τε χἄμ' ἄεισμ' ἁμᾷ.

Vs. 1247.

ὅρμαον τὼς κυρσανίως ὦ Μναμόνα
τὰν τεὰν μῶαν, ἅτις
οἶδεν ἁμὲ τώς τ' Ἀσαναίως.

In his *τὰν τεὰν μῶαν* Rav. scriptura est, qua recepta *τὼς κυρσανίως* in dativos mutavi *τοῖς κυρσανίοις*; accusativos posuerunt qui pro *τὰν τεὰν* legebant *τάν τ' ἐμὰν μῶαν*, quae complurium librorum scriptura est. Sententiae convenit unice quod ego posui: *excita, o Musa, iuvenibus Spartanis cantum tuum*, non autem hoc: *excita iuvenes meumque cantum*, ubi diversissima coniunguntur. *Μναμόνα* Rav. *Μναμοσύνα* alii libri, interpolatione manifesta; neque Engerum probo *Μναμοῦνα* conicientem. *Μναμόνα* a *μνήμων* rectissime formatum est, prorsus ut *ἡγεμόνη* ab *ἡγεμών* formatur et alia huius generis plura.

Nondum recedere licet ab hoc loco propter *οἶδεν*, quod non video quomodo sequentibus *ὅκα τοὶ μὲν ἐνίκων — ἁμὲ δ' αὖ Λεωνίδας ἄγεν* commode aptari possit; nam si hoc dicere voluit poeta, *Musa nos novit, quandoquidem hostes devicimus*, dicere debebat *ἅτις οἶδεν ἁμέ, ὅκα τοὶ μὲν ἐνίκααν* (*ἐνίκησαν*), *ἁμὲ δ' αὖ Λεωνίδας ἄγαγεν*, sin hoc voluit, *Musa nos adspiciebat, quando vincebamus*, non *οἶδεν* debebat scribere, sed *εἶδεν* (*ἔνιδεν*).

Vs. 1251.

ὅκα τοὶ μὲν ἐπ' Ἀρταμιτίῳ πρόκροον θείκελοι.

Scribendum est quod Ahrensius intellexit *πρώκροον*; pro *θείκελοι* reponendum, quod adhuc teneo, *σιοείκελοι*, non quod Dindorfius voluit, *θέσκελοι*.

Vs. 1257.

πολὺς δ' ἀμφὶ τὰς γέννας ἀφρὸς ἤνσει,
πολὺς δ' ἁμᾷ καττῶν σκελῶν ἀφρὸς ἵετο.

Ita haec ex virorum doctorum emendatione edidi, pro *καττῶν* libri *κατὰ τῶν*, vitio frequentissimo et in doricae philosophiae auctoribus apud Stobaeum a nobis pluribus locis sublato. Praeterea reponendum videtur *καττοῖν*

σκελοῖν. Nunquam aliter Aristophanes. V. Pac. 241. 325. 820. 825. .889. Av. 1254. Eccles. 265. 1167. Thesm. 24. 253. Lys. 1172. Consulto omisi Lys. 1170. ubi τὰ Μεγαρικὰ σκέλη dicitur de muris Megarensium. Sed gravis error superest in altero ἀφρός, a Brunckio deleto, a Bergkio autem in ἱδρώς mutato. Aristophanem scripsisse puto:

πολὺς δ' ἀμᾷ καττοῖν σκελοῖν λύθρος ἵετο.

Vides quam proclivi errore ΛΥΘΡΟΣ in ΑΦΡΟΣ abierit. Notum est illud homericum αἵματι καὶ λύθρῳ πεπαλαγμένος. In iis quae statim sequuntur vs. 1262. ἀγρότερ' Ἄρταμι σηροκτόνε, non putavi ferendum esse ἀγρότερε Ἄρταμι. Constanter Graeci eam ἀγροτέραν dicebant, idemque Aristophani reddidi sic, ut ἀγροτέρα Ἄρταμι crasi coalescat; nisi forte ἀγρότειρ' Ἄρταμι scribendum est.

Vs. 1266.

νῦν δ' αὖ φιλία τ' αἰὲς εὔπορος εἴη
καὶ τᾶν αἱμυλᾶν ἀλωπέκων παυσαίμεθα.

Falluntur meo iudicio qui ἀλωπέκων de astutia vulpina dici posse arbitrantur; scribendum videtur ἀλωπεκιᾶν, quod etsi qui de astutia vulpina dixerit novi neminem, analogia tamen hanc significationem satis tuetur. Sed praestat fortasse ἀλωπέκων, quod ex interpretatione additum videri potest, delere poetaeque solum τᾶν αἱμυλιᾶν, *astutiarum*, relinquere.

Vs. 1279.

πρόσαγε χορόν, ἐπάγαγε χάριτας,
ἐπὶ δὲ κάλεσον Ἄρτεμιν.

Legebatur ἔπαγε, quod ἔπαγε δὲ Engerus, ἔπαγέ τε Bergkius scripsit; utrique mihi ἐπάγαγε praestare videbatur, nec offensioni esse potest diversorum temporum coniunctio. De sequentibus ὄμμασι δαίεται Δία τε πυρὶ φλεγόμενον ingeniosam coniecturam proposuit Guilelmus Hoffmann Jahrbücher für class. Philol. 1863. p. 235.

Vs. 1295.

Λάκων πρόφαινε δὴ σὺ μοῦσαν ἐπὶ νέᾳ νέαν.

Male haec olim chori carmini continuabantur; Lysistratae esse intellexit Bergkius. Idem seclusit *Λάκων*, quod mihi glossemati parum simile videtur. Equidem hoc nomen ex integro trimetro superesse credo, cuius quinque pedes exciderint quibus Atheniensium carmen collaudaverat Lysistrata.

Vs. 1316.

ἄλλ' ἄγε κόμαν παραμπυκίδδετε, χερὶ
ποδοῖν τε πάδη.

Haec librorum scriptura est, quam Brunckius ita sibi emendasse visus est ut *παραμπύκιδδέ τε, χερὶ ποδοῖν τε πάδη* ederet; nec felicius Hermannus, qui *παραμπύκιδδε* scripsit deleta particula *τε*. Vera scriptura videtur haec esse:

ἀλλ' ἄγε κόμαν παραμπύκιδδε τᾷ χερί,
ποδοῖν τε πάδη.

Nimirum particula *τε* ut saepe alias (pleni exemplorum Stobaei sunt codices) ex *ται* i. e. *τᾷ* corruptum est. Mimine vero *χερὶ ποδοῖν τε* coniungi possunt, quod si voluisset poeta, *χεροῖν* scripsisset, non *χερί*.

THESMOPHORIAZUSAE.

Vs. 2.

ἀπολεῖ μ' ἀλοῶν ἄνθρωπος ἐξ ἑωθινοῦ.

Scribendum videtur *ἀλῶν*, neque enim verberabat hominem Euripides, sed *ἐν κύκλῳ περιήγαγεν*, per viarum anfractus circumducebat. Diversissima sunt *ἀλᾶν* et *ἀλοᾶν* sive *ἁλοᾶν*, quorum illud nihil differt a *πλανᾶν*. Confunduntur haec etiam ab Hesychio *Ἀλοῶ· πλανῶ* et *Ἀλοᾶν· πλανῶν. καὶ τύπτων.* Quod activae formae nullum praeterea exemplum extat, nihil ad rem facit.

Vs. 16.

ᾧ μὲν βλέπειν χρὴ πρῶτ' ἐμηχανήσατο
ὀφθαλμὸν ἀντίμιμον ἡλίου τροχῷ,
ἀκοῇ δὲ χοάνην ὦτα διετετρήνατο.

Versu tertio codices *ἀκοὴν δὲ χοάνης* habent, cui quod Reiskius substituit *δίκην δὲ χοάνης*, recepit Dindorfius. Nollem factum, loquitur enim poeta de auribus tum primum a deo factis; non autem hoc dicit, aures iam factas deum perforasse. Praeterea necessario auditus ita nominandus erat, ut oculis esset oppositus. Eam ob causam scripsi praeeunte Dobraeo *ἀκοῇ δὲ χοάνην*, *audituí* i. e. *ᾧ δὲ ἀκούειν χρή*, aures *χοάνην* perforavit, quod praegnanter dictum est pro: aures ita fecit factasque perforavit, ut *χοάνης* similitudinem referrent. Aliam viam Bergkius ingressus pro *ὦτα* coniecit *ὥστε*, tragicum enim sermonem imitari poetam, apud quos sane haud raro *ὥστε* in comparationibus ponitur pro *ὡς*, non memini tamen id substantivo postponi.

Haec scripseram quum Iacobus Bernaysius me invisens hanc mecum emendationem communicaret *διττὴν δὲ χοάνην ὦτα διετετρήνατο*, quae ingeniosa et, ut mihi videtur, vera coniectura est.

Quod ad *ἀντίμιμον* adscriptum est scholion, *λείπει δὲ τὸ περιφερές*, in eo *λέγει* scribendum pro *λείπει*.

Vs. 38.

ἐξέρχεται
θεράπων τις αὐτοῦ πῦρ ἔχων καὶ μυρρίνας
προθυσόμενος ἔοικε τῆς ποιήσεως.

Non est haec graeca oratio, quae *ὡς ἔοικε* postulat. Neque sustulit vitium Melerus versum hunc, si recte memini, Mnesilocho tribuens; *ἔοικε* cum nominativo participii coniuncti multa sunt apud recentiores exempla, collecta magnam partem a Schaefero ad Longum p. 367. et ad Dionysium Comp. verb. p. 212. Ex antiquis qui ita locutus sit unum novi Heraclitum apud Sextum Emp. adv. Math. VII. 132. *γινομένων γὰρ κατὰ τὸν λόγον τόνδε ἄπειροι ἐοίκασι πειρώμενοι ἐπέων καὶ ἔργων τοιούτων ὁκοίων ἐγὼ διηγεῦμαι*, sed is quoque *πειρωμένοις* scripsit. Certe apud Atticos nullum certum huius constructionis exemplum reperitur. Cf. Cobetus NL. p. 341. Itaque Aristophanis versum corruptum esse credo scribendumque opinor:

προθυσόμενος οἶμαί γε τῆς ποιήσεως.

Nisi forte malis *προθυσομένῳ δ' ἔοικε τῆς ποιήσεως.*

Vs. 77.

εἴτ' ἔστ' ἔτι ζῶν εἴτ' ἀπόλωλ' Εὐριπίδης.

Hamakero *εἴτ' ἐστὶν ἔτι σῶς* scribendum videtur, cuius mutationis necessitatem non perspicio. Quod enim infra 821 sqq. *σῶν εἶναι* et *ἀπολωλέναι* sibi opponuntur, rectissime sane factum est, inepteque fecisset poeta si istic *ζῶν* scripsisset. Verbum *ζῆν* saepissime figurato sensu dici non docendus est Hamakerus. Notissimus est Antiphanis locus Com. gr. III. p. 130. *γεγάμηκεν, ὃν ἐγὼ ζῶντα περιπατοῦντά τε κατέλιπον.* Ac nescio an *ἔστ'*

futurum sit, *utrum porro vivus futurus sit Euripides, an de eo factum sit.* Si quid in Aristophanis versu corruptum est, pro ζῶν scripserim ζώς. Nam illud dubitari non potest, quin adiectivo poeta hoc loco melius usurus fuisset quam participio. Qua in re consentientem habeo L. Dindorfium ad Xenophontis Memor. III, 12.

Vs. 80.

ἐπεὶ τρίτη 'στὶ Θεσμοφορίων ἡ μέση.

Acute Nauckius Bulletin de l'Acad. de St. Pétersb. vol. VI. p. 57. correxit ἐπείπερ ἐστὶ, quo difficultates, quibus hic locus premitur, tolluntur omnes.

Vs. 96.

καὶ ποῦ 'σθ'; ὅπου 'στίν; οὗτος οὑκκυκλούμενος.

Ita ego scribenda censui quae in libris ita scripta sunt καὶ ποῖός ἐστιν οὗτος; οὑκκυκλούμενος. Vitium loci primus vidit Dobraeus pro καὶ ποῖος requirens καὶ ποῦ 'στιν. Hoc igitur recepi et addidi quae facillime excidere poterant ὅπου 'στιν. Dindorfius καὶ ποῦ ποτ' ἐστίν, Cobetus autem καὶ ποῦ 'στιν ἐτεόν coniecerunt; quae si quis nostris praeferat, non impedio.

Vs. 99.

σίγα· μελῳδεῖν ἂν παρασκευάζεται.

In hoc versu cum ἂν particula prorsus importune illata sit, Scaliger pro ea αὖ scripsit, recepitque hoc praeter alios Dindorfius. At nihil dum modulatus erat Agatho, ut nullus hic locus sit illi voculae. Frustra igitur advocant ex Avibus 226. οὔποψ μελῳδεῖν αὖ παρασκευάζεται, quod rectissime dictum est. Itaque multo rectius sine dubio Bergkius γὰρ proposuit; neque id sequi dubitassem, nisi faciliore emendatione scribi posset:

σίγα· μελῳδίαν παρασκευάζεται.

Neque sequentem versum in libris ita scriptum:

μύρμηκος ἀτραπούς, ἢ τί διαμινυρίζεται;

recte emendatum puto. Dawesius, quem omnes secuti sunt, διαμινύρεται scribi voluit, me quidem quae in hoc

verbo vis sit praepositionis διὰ non intelligente. Scripsi igitur:

μύρμηκος ἀτραπούς, ἢ τί δὴ μινυρίζεται;

Atque id ipsum olim lectum fuisse, ostendere videtur quae scholiasta teste fuit parepigraphe μινυρισμός. Neque obstat quod medii μινυρίζεται aliud exemplum non extat, non impedio tamen si quis praeferat ἢ τί δὴ μινύρεται;

Vs. 101 sqq.

ἱερὰν χθονίαις δεξάμεναι
λαμπάδα κοῦραι ξὺν ἐλευθέρᾳ
πατρίδι χορεύσασθε βοᾷ.

Χθόνιαι deae sunt Ceres et Proserpina, de quibus cum constanter poetae attici duali numero loquantur, etiam hic χθονίαιν scribendum puto. Praeterea nescio an articulus τοῖν exciderit. Malim autem primos versus ad unum coniungi:

ἱρὰν τοῖν χθονίαιν δεξάμεναι λαμπάδα κοῦραι ξὺν ἐλευθέρᾳ —

Versu tertio quo consilio *patria* commemoretur adeo non intelligo, ut id corruptum esse non dubitaverim atque scripserim πάτρια, *more a patribus accepto*, ἐλευθέρᾳ cum βοᾷ coniungens.

Vs. 107 sq.

ἄγε νῦν ὅπλιζε Μοῦσα
χρυσέων ῥύτορα τόξων.

Bentleius ὄλβιζε coniecit, quae etsi ingeniosa coniectura est, fortasse tamen rectius scripsi

ἄγε νῦν ὦ κλῇζε Μοῦσα,

mutatione fere nulla. Constat enim π et κ ita fere exarari in codicibus, ut alterum ab altero vix dignoscas. Facile autem intelligitur, ad sententiam aptius esse dici Musas Apollinem laudibus tollere quam felicem praedicare. Utrumque recte coniungitur vs. 117.

ἕπομαι κλῄζουσα σεμνὸν
γόνον ὀλβίζουσα Λατοῦς
Ἄρτεμιν ἀπειρολεχῆ,

ubi *σεμνὰν* pro *σεμνὸν* recte corrigere videtur Dindorfius, nisi potius *τόνον* pro *γόνον* scribendum est, ut sancto cantu se Dianam celebrare dicat, et *Λατοῦς Ἄρτεμις* dictum sit ut *Διὸς Φοῖβος* et multa huius generis similia. Ceterum pro *κλῄζουσα* fortasse praestat scribere *κλῄζουσι*.

Vs. 120 sqq.

Λατώ τε κρούματά τ' ἀσιάδος
ποδὶ παρ' ἔρρυθμα φρυγίῳ
δινεύματα Χαρίτων.

Difficile est ad credendum *ἀσιάδα* poetam simpliciter posuisse de cithara asiatica; ac fortasse ipsum illud *κιθάρας* excidit. Editum tamen legit etiam Etymol. M. p. 153, 31. *Ἀσιάδος κρούματα, τῆς κιθάρας, οὕτως Ἀριστοφάνης εἶπε.* Cetera scripsi ut emendata sunt ab Engero, libris in *ποδὶ παράρυθμ' εὔρυθμα φρυγίων* consentientibus; *δινεύματα* Bentleii emendatio est pro *διανεύματα*.

Vs. 124 sqq.

κίθαρίν τε ματέρ' ὕμνων
ἄρσενι βοᾷ δόκιμον.

In his *δόκιμον* Dindorfii est emendatio; libri *δοκίμῳ*. At praestat fortasse *δοκίμων* scribere, id ut ad *ὕμνων* referatur. Quae his proxime inferuntur ab aliis aliter tentata fortasse ita sunt scribenda:

τᾶ φάος ἔσσυτο δαιμονίοις θεοῦ
οἴμασιν, ἁμετέρας τε δι' ἀιδίου ὀπός,

ut Apollinis chorique cantu citharae gloria conciliata esse dicatur. Librorum scriptura est *δαίμονος ὄμμασιν* et *αἰφνιδίου ὀπός*. Addidi igitur *θεοῦ*, quod saepissime excidisse constat. *οἴμασιν* ex Bergkii coniectura recepi. Denique pro *αἰφνιδίου*, quod frustra explicare conati sunt, fortasse *ἀιδίου* scribendum est. Sequentia in libris ita habentur:

ὧν χάριν ἄνακτ' ἄγαλλε Φοῖβον τιμᾷ.

Delerunt critici *τιμᾷ* utpote ex *τίμα* corruptum, quod interpretamentum esse existimant imperativi *ἄγαλλε*. Ego *ὧν χάριν* ad praecedentem versum traxi, in ceteris leni verborum transpositione usus *Φοῖβον ἄνακτ' ἄγαλλε τιμᾷ*.

Vs. 146 sqq.

ὦ πρέσβυ πρέσβυ, τοῦ φθόνου μὲν τὸν ψόγον
ἤκουσα, τὴν δ' ἄλγησιν οὐ παρεσχόμην.

Speciose Reiskius *τοῦ φθόνου μὲν τὸν ψόφον* vel *τὸν ψόγον μὲν τοῦ φθόνου* coniecit. Nec male legeretur *τοῦ ψόγου μὲν τὸν φθόνον*. Pro *παρεσχόμην* ingeniose Bergkius *παρῃσθόμην*. Fortasse recte; certe *παρεσχόμην* non video quo pacto interpretari liceat. At possis etiam *παρέσχετο* conicere, *dolorem autem, quem tu mihi afferre voluisti, vituperium tuum non effecit.* In sequenti versu

ἐγὼ δὲ τὴν ἐσθῆθ' ἅμα γνώμῃ φέρω,

nescio an *ἅμα τῇ γνώμῃ* scribendum sit, quamquam ne hoc quidem sufficit. Melius, ut equidem opinor, *ὁμόγνωμον* legeretur.

Vs. 149.

χρὴ γὰρ ποιητὴν ἄνδρα πρὸς τὰ δράματα
ἃ δεῖ ποιεῖν, πρὸς ταῦτα τοὺς τρόπους ἔχειν.

Ita codices sensu nullo. Bergkius *ἃ χρὴ ποιεῖν*. Equidem vix dubito quin *ἃ δεῖ* ex *ἃ ἀεὶ* natum sit. Itaque *ἀεὶ ποιεῖ* edidi, noto usu voculae *ἀεί*.

Vs. 158.

ἵνα συμποιῶ σοὔπισθεν ἑστηκὼς ἐγώ.

Quod codices habent *ἑστυκὼς* prurienti scribae debetur, nec ferri h. l. potest, sive *σοὔπισθεν* ex *σοι ὄπισθεν* sive ex *σου ὄπισθεν* compositum esse ponatur. Scripsi igitur quo sua orationi simplicitas redditur *ἑστηκώς*. Sensus igitur *ἵνα συμποιῶ σοι ἑστηκὼς ὄπισθεν*. Video nunc *ἑστηκὼς* iam e priscis quibusdam editionibus enotatum esse.

Vs. 161.

Ἴβυκος ἐκεῖνος κἀνακρέων ὁ Τήιος
κἀχαιός, οἵ περ ἁρμονίαν ἐχύμισαν,
ἐμιτροφόρουν τε κἀχλίδων ἰωνικῶς.

Infelix Aristophanis Byzantii coniectura est versu secundo Alcaeum pro Achaeo inferentis. Quid enim magis alienum ab Alcaeo, fortis et bellicosi animi viro, quam *μιτροφορεῖν* et muliercularum more se gerere? et quo iure is *χυμίσαι* harmoniam i. e. *γλυκᾶναι* dici potuit, quem masculis et fortibus numeris usum esse vel ex paucis quae supersunt eius reliquiis intelligitur. Has ob causas antiquam scripturam *κἀχαιός* (non *κἀχαῖος*), quantumvis corruptam, revocandam putavi, in qua quid nominis lateat fortasse aliis eruere continget. Neque enim satis placet quod ipse aliquando conieceram *καὶ Λᾶσος*, quamvis *ΚΑΙ ΛΑCΟC* facile in *ΚΑΙ ΑΧΑΙΟC* corrumpi potuit. Lasum commemoravit et cum Simonide composuit Aristophanes Vesp. 1410. Ad *ἐχύμισαν* pertinet glossa Hesychii *Ἐχύμισαν· ἤρτυσαν.* Tertio versu codices habent *καὶ διεκίνων*, Suidas *καὶ διεκίνουν*, quod *καὶ διεκλῶντ'* scripsit Toupius, a plerisque probatum. Tale quid si hoc loco requireretur, possent etiam alia conici, e. c. *ἐμιτροφόρουν διεκνησιῶν τ'*, vel *ἐμιτροφόρουν κἀκνησιῶν*, cll. Eccles. 919. *τὸν ἀπ' Ἰωνίας τρόπον τάλαινα κνησιᾷς* et Anaxila apud Athenaeum III. p. 95. b. *δεινὸν μὲν γὰρ ἔχονθ' ὗς ῥύγχος, ὦ φίλε, κνησιᾷν.* Sic enim scribendum. Enimvero non id agit Agatho, ut a deliciarum et venereae voluptatis crimine se purget, sed ut vestitum mollem et luxuriosum excuset. Docent hoc quae initio v. 159. ipse dicit *ἄμουσόν ἐστι ποιητὴν ἰδεῖν ἀγρεῖον ὄντα καὶ δασύν*, item ipsum illud *ἐμιτροφόρουν*, et quae statim de Phrynicho dicuntur *καλῶς ἠμπίσχετο.* Rectam emendandi viam institisse puto Fritzschium, qui *ἐμιτροφόρουν καὶ διεχλίδων* scribendum vidit, a quo ita recessi, ut servata particula *τε* reposuerim,

ἐμιτροφόρουν τε κἀχλίδων ἰωνικῶς.

quod plene sic scriptum *καὶ ἐχλίδων* peperit *καὶ διεκίνων*. Quis enim nescit *διὰ* innumerabilibus locis ex praecedente *καὶ* natum esse?*)

Vs. 173.

παῦσαι βαΰζων· καὶ γὰρ ἐγὼ τοιοῦτος ἦ —

Ineptissime, ut mihi quidem videtur, poeta Euripidem ad simplicissimam Mnesilochi interrogationem *πῶς πρὸς τῶν θεῶν;* respondentem fecit *παῦσαι βαΰζων*. Scribendum suspicor *παῦσαι βασανίζων*.

Vs. 202.

τί δ' ἔστιν ὅτι δέδοικας ἐλθεῖν αὐτόσε;

Novum hoc et inauditum mihi accidit *δέδοικα* sic cum infinitivo coniunctum, ac vereor ne scripserit poeta *ἐλθών*, *si istuc veneris*.

Vs. 257.

ΕΥΡ. κεκρυφάλου δεῖ καὶ μίτρας. ΑΓ. ἡδὶ μὲν οὖν κεφαλὴ περίθετος, ἣν ἐγὼ νύκτωρ φορῶ.

Perabsurde in his dictum est *κεφαλὴ περίθετος*, quasi *κεφαλὴ* de capitis involucro vel de persona capiti circumdata dici possit; eodem fere redeunt interpretationes anonymi apud Eustathium ad Il. p. 1281. in. ut quid rei esset ipse plane ignorasse videatur; neque hoc mirum videri potest. Locus enim inveterato vitio laborat eoque etiam libris, quibus Pollux II, 35. usus est, antiquiore. Scribendum videtur *ἡδὶ μὲν οὖν, κεφαλῇ περίθετον ἣν ἐγὼ νύκτωρ φορῶ*. Mitram dicit, qua noctu caput involvebat.

Vs. 278.

σημεῖον ἐν τῷ θεσμοφορίῳ φαίνεται.

Scribendum *θεσμοφορείῳ*, quam formam necessario postulat lex qua *τῶν τεμενικῶν* formatio regitur. Idem

---

*) Apud Strabonem IX. p. 415. legitur *ὅταν φέρωσι καὶ διάγωσιν*, quod qui recte *καὶ ἄγωσιν* scribendum esse intellexit Cobetus V. L. p. 363. debebat, poterat certe, commemorare, eandem nostram fuisse coniecturam in Vindiciis Strabon. p. 143.

infra vs. 880. restitui. Ipsa autem thesmophoriorum sollemnitas recte *θεσμοφόρια* dicitur.

Vs. 284.

ὦ Θρᾷττα τὴν κίστην κάθελε κᾆτ' ἔξελε
τὰ πόπανα.

Quod ego olim conieceram *τὴν κίστην κατάθου*, coniecit nunc etiam Herwerdenus; *κάθελε*, quod ex proximo *κᾆτ' ἔξελε* natum est, sensu cassum est. Aptum vero reique accommodatum est verbum *καταθέσθαι*, de quo cf. Acharn. 243. *κατάθου τὸ κανοῦν ὦ θύγατερ, ἵν' ἀπαρξώμεθα*, ubi eandem plane rerum faciem habes.

Vs. 289.

καὶ τοῦ θυγατρίου χοῖρον ἀνδρός μοι τυχεῖν.

Legitur vulgo *καὶ τὴν θυγατέρα*, quod aliis *τῆς θυγατέρος*, mihi *τοῦ θυγατρίου* scribere placuit. Audacius Hamakerus locum ita emendare sibi visus est, ut *τὴν θυγατέρα* tanquam glossema expelleret scriberetque *καὶ χοῖρον ἐκτραφεῖσαν ἀνδρός μοι τυχεῖν.*

Vs. 294.

δούλοις γὰρ οὐκ ἔξεστ' ἀκούειν τῶν λόγων.

Non dubito quin recte hunc versum, quo nihil cogitari potest ieiunius, in *νοθείας* suspicionem vocaverim.

In oratione praeconis vs. 305. pro *δρῶσαν* recte videtur Helwigius *ὁρῶσα* correxisse. V. Jahrbücher für class. Philol. 1861. p. 537.

Vs. 310.

ταῦτ' εὔχεσθε, καὶ ἡμῖν αὐταῖς τἀγαθά.

Postremum qui non recte dictum esse intellexit Dobraeus *πολλὰ κἀγαθὰ* corrigit. Lenius est quod ipse posui *πάντ' ἀγαθά.*

Vs. 332.

εὔχεσθε τοῖς θεοῖσι τοῖς ὀλυμπίοις
καὶ ταῖς ὀλυμπίαισι.

In solemnibus Atheniensium precibus dativi generis feminini non in *αισι* sed in *ησι* exiisse videntur. Hanc

ionicam formam servarunt codices in Av. 868. ὀλυμπίοις καὶ ὀλυμπίῃσι πᾶσι καὶ πάσῃσιν, ubi non imiter Dindorfium vulgares formas substituentem. Itaque etiam in Thesmophoriazusis ὀλυμπίῃσι restituendum puto, et in sequentibus πυθίῃσι et δηλίῃσι.

Vs. 352.

ξυνευχόμεσθα τέλεα μὲν
πόλει τέλεα δὲ δήμῳ
τάδ' εὔγματα γενέσθαι.

Tertium versum critici cum duobus primis similem facere vellent, alii τάδ' εὔγματ' ἂν γενέσθαι, alii τάδ' εὔγματ' ἐκγενέσθαι scribi voluerunt. Prius soloecum est, quid enim hoc est *precamur haec rata fore?* non magis ἐκγενέσθαι ferri potest; εὔγματα enim τέλεα γίγνεται, non τέλεα ἐκγίγνεται. Credo autem non iambicos numeros hic restituendos esse, sed ionicos, quales sequentis versus sunt. Itaque scribendum videtur τάδε γ' εὔγματα γενέσθαι, in quo γε vi sua non caret; at potest etiam τάδε τεὔγματα γενέσθαι, sed exemplum quo hanc crasin defendam non in promptu est.

Quae sequuntur in libris ita scripta sunt:

τὰ δ' ἄρισθ' ὅσαις προσήκει
νικᾶν λεγούσας,

sensu, quantum video, nullo; certe ὅσαις προσήκει significare non potest quod volunt *quibus contingit;* pro ὅσαις, quae nescio cuius coniectura est, libri ὅσαι, unde conicio ὅσ' ἂν προσήκῃ.

Vs. 363.

τἀπόρρητά τε τοῖσιν ἐ-
χθροῖς τοῖς ἡμετέροις λέγουσ',
ἢ Μήδους ἐπάγουσι τῆς
χώρας οὕνεχ' ἐπὶ βλάβῃ.

Medi, si quid video, hic ineptissime commemorantur, neque sequentia ullo modo intelligi possunt. Itaque tentabam olim:

ἢ μοιχοὺς ἀπάγουσι γῆς,

deleto proximo versu. Nunc ambo versus, qui ab eo, qui reliquum carmen composuit, scribi non potuerunt, in marginem reieci.

Vs. 390.

ποῦ δ' οὐχὶ διαβέβληχ', ὅπουπερ ἔμβραχυ
εἰσὶν θεαταί.

Neque ποῦ, quod codices habent, neque πῶς, quod scholiasta Platonis Theag. p. 127. c. praebet, hic mihi ferri posse videbatur; itaque scripsi, quod unice hic aptum est, πόσα δ' οὐχὶ διαβέβληκε.

Vs. 400.

ὥστ' ἐάνπερ τις πλέκῃ
γυνὴ στέφανον —

In his ἐάνπερ τις scripsi pro ἐάν τις, cui quod Kusterus substituit a Dindorfio receptum ἐάν γέ τις, eam ob causam probari non potest, quod ἐάν γε ab Atticis non magis dictum videtur quam ὅταν γε et similia. Bentleius ἐάν τίς που, Dobraeus ἐὰν καί τις tentabat, Bergkius ἐὰν νέα. Quorum loco quod ego substitui, non adeo certum, quin etiam aliud quid conici possit.

Vs. 493.

οὐδ' ὥς, ὅταν μάλισθ' ὑπό του ληκώμεθα
τὴν νύχθ', ἕωθεν σκόροδα διαμασώμεθα.

Pro ληκώμεθα, quod non video quo pacto defendi possit, aoristum requiro; fortasse locus interpolatus est scribendumque ὅταν μάλιστα ληκησώμεθα, *ubi noctem ludendo et delicias faciendo transegerimus.* De nocturnis his muliercularum deliciis cfr. vs. 797. Verbum ληκᾶσθαι nihil differt a λαικάζειν. Hinc Hesychius ληκᾶν explicat per πρὸς ᾠδὴν ὀρχεῖσθαι, περαίνεσθαι.

Vs. 498.

οὐδ' ἐκεῖν' εἴρηκέ πω,
ὡς ἡ γυνὴ δεικνῦσα τἀνδρὶ τοὔγκυκλον
ὑπ' αὐγὰς οἷόν ἐστιν, ἐγκεκαλυμμένον
τὸν μοιχὸν ἐξέπεμψεν, οὐκ εἴρηκέ πω.

Articulus ante *γυνὴ* merito offendit Brunckium, male tamen *ὡς καὶ γυνὴ* corrigentem. Probabilius *ὡς δὴ γυνὴ* fuerit. At hoc leve est prae mirabili illo *ὑπ' αὐγάς*. Perquam ingeniose Hermannus *ὑπαυγάσ'* coniecit, modo constaret de significatione verbi *ὑπαυγάζειν*. Quod Engero scribendum videbatur *αὐγὰς ὕφ'*, ex eo anastrophae genere est, quo vix tragici poetae nedum comici uti potuerint, constanti et perpetuo usu *ὑπ' αὐγὰς* dici postulante. Si certo mihi constaret *οἷον* poetas comicos ut saepe iambica mensura dixerunt, ita etiam pyrrhichica dixisse, conicerem:

οἷόν ἐσθ' ὑπ' αὐγάς, ἐγκεκαλυμμένον λάθρᾳ —

Sed nolo incertas coniecturas periclitari de loco, in quo etiam *ἐγκεκαλυμμένον* non sine offensione est. Mulier rem habuit cum moecho, supervenit maritus, illa abscondit moechum, seducit virum ad fenestram et dum ostendit ei vestem recens emtam, moechus clam evadit. Ita si res facta est, *ἐγκεκρυμμένον* vel *ἀποκεκρυμμένον* potius quam *ἐγκεκαλυμμένον* requiri apertum est.

Vs. 531.

ἀλλ' οὐ γάρ ἐστι τῶν ἀναισχύντων φύσει γυναικῶν
οὐδὲν κάκιον εἰς ἅπαντα πλὴν ἄρ' αἱ γυναῖκες.

Impudentibus mulieribus nihil peius esse dicit praeter mulieres. Fateor equidem quo sensu haec dicantur me non intelligere; intelligerem vero si hoc diceretur: omnium qui suapte natura impudentes sunt, nihil peius est quam mulieres. Cfr. Lysistr. 369. *οὐδὲν γὰρ ὧδε θρέμμ' ἀναιδὲς ὡς γυναῖκες.* Ac fortasse in primo versu *γυναικῶν* delendum est, qua voce ad metrum facile caremus; tetrametrum poeta subiecit trimetro, quod quin hoc loco recte fiat, non dubitandum est.

Vs. 662.

ἀλλὰ τὴν πρώτην τρέχειν χρὴ ὡς τάχιστ' ἤδη κύκλῳ.

Vereor ne non recte Bentleii *χρῆν ὡς* corrigentis emendationem sequutus sim; imperfecto nullus hic locus est propter *ὡς τάχιστ' ἤδη*. Porsono scribendum videbatur *χρή σ' ὡς*, quod qui recte minus aptum dixit Engerus, iusto tamen audacius ipse tentavit *τρέχειν ὅσον τάχιστ'*. Restituenda videtur quae passim obliterata est formula Atticis usitata *χρῆσθ' ὡς*, i. e. *χρῆσται ὡς*.

Vs. 663.

εἶα νῦν ἴχνευε καὶ μάτευε ταχὺ πάντ'.

Verba *καὶ μάτευε* Engerus dubitat num Aristophanis sint, ac sane dimetro potius quam tribus monometris poeta usus esse videtur; quae si vera est opinio, equidem potius *ἴχνευε καὶ* eiecerim. Aegre tamen poeta paronomasiam *ἴχνευε καὶ μάτευε* sibi eripi patietur; ac fortasse tetrametro usus est, facili opera sic restituendo, ut *μάτευε ταχὺ καὶ πανταχοῦ* scribatur, vel *πάντα πανταχοῦ*, vel *μάτευε πανταχοῦ ταχύ*, vel denique quod Bergkius volebat *πάντα καὶ μάτευε πανταχοῦ*. In sequentibus quoque multorum incertissima scriptura est, velut 680. *μανίαις φλέγων λύσσῃ*, ubi metro satisfaceret *μανιάσιν φλέγων λύσσαις* (ut *μανιὰς λύσσα* dixit Euripides Orest. 326.) et 685. ubi cum libri habeant *ἀποτίνεται παράχρημά τε τίνεται*, dubitanter posui *παρὼν τίνεται*, ceteris in marginem reiectis.

Vs. 715.

τίς ἂν ξύμμαχος ἐκ θεῶν
ἀθανάτων ἔλθοι ξὺν ἀδίκοις ἔργοις;

Miror neminem adhuc haesisse in verbis *ξὺν ἀδίκοις ἔργοις*, in quibus quo pacto praepositio explicari possit non intelligitur. Scripsi igitur *σοῖς ἀδίκοις ἔργοις*.

Vs. 724.

τάχα δὲ μεταβαλοῦσ' ἐπὶ κακὸν ἑτερότροπον
τίς σ' ἐπέχει τύχη.

Primo versu Fritzschius, quem sequutus sum, edidit *ἐπὶ κάχ' ἑτερότροπα*, Engerus autem *ἐφ' ἑτερότροπα κακά*. Neutra coniectura probabilis est; fortasse *κακὸν* glossema est scribendumque *ἐφ' ἑτερόρροπόν τί σ' ἐπέχει τύχη*.

Vs. 728.

ἴωμεν ἐπὶ τὰς κληματίδας ὦ Μανία.
κἀγώ σ' ἀποδείξω θυμάλωπα τήμερον.

Vereor ne hi versus inter se transponendi sint; ita multo aptius coniunguntur verba *κἀγώ σ' ἀποδείξω* etc. cum iis quae chorus de ustulando Mnesilocho dixerat.

Vs. 760.

ταλαντάτη Μίκκα, τίς ἐξεκόρησέ σε;
τίς τὴν ἀγαπητὴν παῖδα σοὐξηρήσατο;

Revocanda est librorum scriptura *Μίκα*, de qua dixi ad Lysistr. 723. Altero versu frustra Engerus excusare conatus est barbarum et postremae aetatis scriptoribus usitatum aoristum *ἐξηρησάμην*; ne illud quidem, quod Bergkius dubitanter proposuit *ἐξενήρατο*, in attico scriptore ferri potest. Cobetus, qui iniuriam fecit Bergkio cum hunc *ἐξηρήσατο* patienter tulisse dixerit, Cobetus igitur quid de h. l. statuat non dixit. Mihi non dubium videtur quin reiecta Lobeckii ad Phrynichum p. 718. totum versum eliminantis sententia, locum recte ita refinxerim *τίς τὴν ἀγαπητὴν παῖδά σου διεχρήσατο*. Error unde natus sit non dubium videri potest cogitanti *διὰ* et *ἐξ* simillimo ductu in cdd. exarari, unde facilis harum praepositionum permutatio. Cfr. Cobetum N. L. p. 290.

Vs. 795.

κἂν καταδάρθωμεν ἐν ἀλλοτρίων παίζουσαι καὶ κο-
πιῶσαι
πᾶς τις τὸ κακὸν τοῦτο ζητεῖ περὶ τὰς κλίνας περι-
νοστῶν.

Egregie de his disputavit Hamakerus, qui illud haud dubie verissime intellexit non *κλίνας* scripsisse Aristophanem, sed *σκηνάς*. Ad quod idem *ἐν ἀλλοτρίων* suspectavit proque eo *Ἀγροτέρας* reponendum esse coniecit, id quamquam, si libri offerrent, lubenter amplecterer, non ausim tamen a codicum scriptura recedere, quae ita explicari posse videtur, ut *ἐν ἀλλοτρίων* idem esse dicamus, quod Callimachus h. in Dian. 85. dixit sui temporis consuetudinem sequutus *ἐν ἀλλοτρίοις*.

Vs. 805.

καὶ μὲν δὴ καὶ Κλεοφῶν χείρων πάντως δήπου Σαλα-
βακχοῦς.

Particularum *καὶ μὲν* coniunctio epicis admodum usitata offensionem habet in sermone attico; nec sufficit si quis mecum *καὶ μὴν* scribere velit, quod aeque inusitatum est sequente particula *δή*. usitatum est *καὶ μὴν δήπου*, quod si h. l. restituendum est, alterum *δήπου* in *δή 'στίν* mutandum erit. Fortasse tamen librorum scriptura ex epica anapaestorum licentia defendi potest.

Vs. 844.

ἀλλ' ἀφαιρεῖσθαι βίᾳ τὰ χρήματ' εἰπόντας ταδί·
ἀξία γοῦν εἶ τόκου τεκοῦσα τοιοῦτον τόκον.

Nihil salis in his verbis inest, si ita intelliguntur, ut digna filio dicatur Hyperboli, quae talem filium pepererit. Non magis eorum ferri potest interpretatio, qui *τόκου* in verbis *ἀξία εἶ τόκου* de foenore intelligunt et ironice haec dicta esse statuunt *scilicet tu digna es foenore*, i. e. iure meritoque nemo usuras tibi acceptae a te pecuniae solvit. Usuras mulieri non solvendas esse iam supra poeta dixit; hic autem de alia re eaque atrociore agitur.

Dicit enim ipsam pecuniam vi ei auferendam esse, *ἀλλ' ἀφαιρεῖσθαι βίᾳ τὰ χρήματα*. Ex quo sequitur in verbis illis aliquid inesse quo eam merito opibus privari dicatur. Noli igitur dubitare quin vitium alat locus, ita, nisi coniectura fallit, facile tollendum, ut scribatur:

ἀλλὰ κείρεσθαι βίᾳ τὰ χρήματ' εἰπόντας ταδί·
ἀξία γοῦν εἶ πόκου τεκοῦσα τοιοῦτον τόκον.

Nimirum qui opibus exuuntur admodum usitata figura *κείρεσθαι* dicuntur. Hinc frequens dictio apud Homerum *κείρειν τὰ κτήματα*, *diripere bona, dissipare*, velut Odyss. 18, 144. *κτήματα κείροντες καὶ ἀτιμάζοντες ἄκοιτιν*. Cfr. Hermippus Pollucis IX, 71. *σύμβολον κεκαρμένος*. Eademque figura incertus comicus tributa ab Atheniensium sociis verno tempore pendenda dixit *ἤρινον πόκον*. V. Fragm. Com. IV. p. 637. et Dobraeus Adv. I. p. 593. Quodsi hoc mihi dederis recte restitutum esse *πόκου*, etiam illud haud invitus concedes, non minus recte primo versu me scripsisse *ἀλλὰ κείρεσθαι βίᾳ*, quod facile senties quam urbane, quam eleganter dictum sit prae plumbeo *ἀλλ' ἀφαιρεῖσθαι βίᾳ*. Ac favet quodammodo Rav. scriptura *ἀλλ' ἀφερεῖσθαι*.

Vs. 975.

ἣ πᾶσι τοῖς χοροῖσιν ἐμπαίζει τε καὶ
κλῇδας γάμου φυλάττει.

De Iunone haec dicuntur pronuba, quae quo iure *ἐμπαίζειν τοῖς χοροῖς* i. e. *ludibrio habere choros* dici possit non intelligitur. Male enim Kusterus interpretatur *choreis interest*. Scripsi igitur *χοροῖσι συμπαίζει*. Neque sanum videtur quod eodem carmine legitur vs. 981. *ἔξαιρε δὴ προθύμως διπλῆν χάριν χορείας*, quod *ἔξαρχε* scribendum suspicor.

Vs. 1013.

δῆλον οὖν τοῦτ' ἔσθ' ὅτι
ἥξει με σώσων· οὐ γὰρ ἂν παρέπτετο.

Secutus sum Dobraeum ita haec scribentem ut edidi, libri *δῆλον οὖν ἔσθ' ὅτι*. Lenius fuerit *δῆλον οὖν ἐστὶν*

'τιή. Tum *παρέπτατο* codices, quod servari potest, si hic Euripidis versus est.

Vs. 1026.

ὅδε γὰρ ὁ Σκύθης πάλαι μοι φύλαξ
ἐφέστηκ' ὀλοὸν ἄφιλον ἐκρέμασε.

Violatos numeros restituturi Hermannus et Engerus versu altero *ἄφιλον ὅς ἐκρέμασε* scripserunt, orationis elegantiae non optime consuluerunt; ab hoc quidem vitio libera est Cobeti emendatio *ἐφεστηκὼς* scribentis, sed metrum gravissime corrumpens. Scribendum erat *ἐφεστὼς ὀλοὸν ἄφιλον ἐκρέμασεν.*

Vs. 1065.

ὦ νὺξ ἱερά,
ὡς μακρὸν ἵππευμα διώκεις;

Hiatus vitandi causa Bergkius coniecit *μακρὸν ὥς*, cui praetuli *πῶς μακρὸν*, hoc sensu *qui fit ut longum cursum persequaris?*

Vs. 1089.

ΤΟΞ. καккάσκι μοι; ΕΥΡ. καккάσκι μοι.

Fritzschio *καккάσκις* i. e. *καταχάσκει*, Engero *καккάσκει* i. e. *καγχάζεις* scribendum videtur. Illud si verum est, homo barbarus dativum cum *καταχάσκειν* coniunxit, quemadmodum in fragmento anonymi comici habemus *τί καταγελᾶτε τοῖς ἐμοῖς παθήμασιν*. V. Com. graec. fr. IV. p. 625. Non iniuria tamen obvertit Engerus *καταχάσκειν* Scytham vix in *καккάσκειν* mutaturum fuisse. In ea autem, quam ipse proposuit, interpretatione dativus abundat. Quare videndum est ne *κἀккάσκι μοι* dixerit Scytha i. e. *καὶ ἐγχάσκεις μοι.*

Vs. 1148—1159.

στρ. ἥκετε δ' εὔφρονες ἵλαοι,
πότνιαι, ἄλσος ἐς ὑμέτερον, ἔνθ'
ἀνδράσιν οὐ θέμις εἰσορᾶν
ὄργια σέμν', ἵνα λαμπάσι φαίνετον
ἄμβροτον ὄψιν.

ἀντιστρ. *θεσμοφόρω πολυποτνία,*
μόλετον ἔλθετον, ἀντόμεσθ', εἰ
καὶ πρότερόν ποτ' ἐπηκόω
ἤλθετ', ἰὼ ἀφίκεσθ' ἱκετεύομεν
ἐνθάδε καὶ νῦν.

Adscripsi totum locum qualem nunc ederem, si res integra esset. Vs. 1149. *ἔνθ'* scripsi pro *οὗ δὴ*, quod non ita defendam, ut *δὴ ἀνδράσιν* per crasin coalescat, quod in trimetro fortasse facturus erat, in talibus numeris certo non fecit poeta. Vs. 1151. delevi quod grammatici emblema esse videtur *θεοῖν* sive ut libri habent *θεαῖν*. Ita multo minore opera numeri restitui possunt in versu antistrophico. Vs. 1155. recte sine dubio Hermannus hic posuit. Vs. 1153—55. in codd. ita leguntur:

μόλετον ἔλθετον, ἀντόμεθ' ὦ
θεσμοφόρω πολυποτνία,
εἰ καὶ πρότρον ποτ' ἐπηκόω.

Edideram haec ad mentem Hermanni, sed *εἰ* particula in talibus precationibus cum abici non possit, nunc paulo aliam viam ingressus sum, probata tamen Hermanniana versuum transpositione prorsus necessaria. Numeri *ἀντόμεσθ' ὦ* (´– ⏑ – –) respondent strophicis *ὑμέτερον ἔνθ'* (´– ⏑ ⏑⏑ –) Duo ultimi versus in libris ita scripti sunt:

ἤλθετον, νῦν ἀφίκε-
σθον, ἱκετεύομεν, ἐνθάδ' ἡμῖν.

Quae nunc ita correxi, ut et verborum structurae in talibus precibus solemni et numeris satisfactum sit. Cf. Sophocles Oed. T. 162. *ἰὼ τρισσοὶ ἀλεξίμοροι προφάνητέ μοι, εἴ ποτε καὶ προτέρας ἄτας — ἠνύσατ' ἐκτοπίαν φλόγα πήματος, ἔλθετε καὶ νῦν.*

Vs. 1216.

οἴμοι τί δρᾶσι; ποῖ 'στι ποῖ τὸ γρᾴδιο;
Ἀρταμουξία.

Ita haec nunc scribenda puto. Non *οἴ μοι* h. l. extra versum ponendum erat, sed *Ἀρταμουξία*, ut factum est

post 1213. et 1222. Tum libri *ποῖ τὸ γρᾴδιο*, quod Hermannus *ποῖ δὲ ποῖ τὸ γρᾴδιο* scripsit, Fritzschius *ποῖ τὸ γρᾷο; γρᾴδιο*, quem secutus est Engerus.

Vs. 1226.

τρέχε νῦν κατὰ τοὺς κόρακας ἐπουρίσας.

Versum completurus Reisigius *ἀλλὰ* initio versus supplevit, Brunckius *τρέχε νῦν τρέχε νῦν*. His commodius mihi visum est *τρέχε* in fine versus repetere. Praeterea fortasse *νυν* scribendum erat.

R A N A E.

Vs. 14.

εἴωθε ποιεῖν καὶ Λύκις κἀμειψίας.

Lycis inauditum sane poetae comici nomen est, nec tamen ideo tentandum; etiam Pythangelum vs. 87. nemo alius praeter Aristophanem inter tragicos poetas commemoravit. Si quid tamen mutandum, quod non credo, multum praestat aliorum commentis quod Kockius proposuit *κἀπίλυκος*, cui favet quodammodo librorum scriptura *καὶ Λύκος*.

Vs. 28.

οὐ δῆθ' ὅ γ' ἔχω 'γὼ καὶ φέρω μὰ τὸν Δί' οὔ.

Praestare opinor *ἐγὼ 'χω*, docente versu praecedente *οὐκοῦν τὸ βάρος τοῦθ' ὃ σὺ φέρεις ὄνος φέρει*, ad quae aptius Xanthias *non sane quae ego habeo et fero* respondet quam *quae habeo ego et fero*. Ceterum Hamakerus hunc versum cum tribus aliis 26—29 ut spurios eiecit, rationibus usus, ut mihi et Ernesto de Leutsch videtur, non gravissimis. Concedendum tamen est, si abessent, neminem eos esse desideraturum; sed haec causa nequaquam sufficit ut versus damnemus per se nihil habentes quod ab attica elegantia alienum sit.

Vs. 83.

ἩΡ. Ἀγάθων δὲ ποῦ 'στιν; ΔΙ. ἀπολιπών μ' ἀποίχεται.

Pro *ἀποίχεται* optimi codices *οἴχεται*, deteriores et Suidas *ἀποίχεται* habent, quod apertum est interpolatoris

esse versum restituturi. Addidi quod facile excidere potuit ὅπου 'στ' scripsique:

ἩΡ. Ἀγάθων δὲ ποῦ 'σθ'; ΔΙ. ὅπου 'στ'; ἀπολιπών
μ' οἴχεται.

Aliis fortasse Cobeti emendatio praeferenda videbitur Ἀγάθων δὲ ποῦ ποτ' ἐστ'; ἀπολιπών μ' οἴχεται. In sequentibus vs. 87. post Πυθάγγελος δὲ duorum hemistichiorum lacunam indicavi. Cum enim in toto hoc dialogo Herculi de tragicis poetis sciscitanti Dionysius de quoque aliquid respondeat, quo eius indoles breviter indicatur, non potest non mirum videri de Pythangelo nihil praedicari.

Vs. 94.

ἃ φροῦδα θᾶττον, ἢν μόνον χορὸν λάβῃ,
ἅπαξ προσουρήσαντα τῇ τραγῳδίᾳ.

Parum recte mihi dictum videbatur ἢν μόνον χορὸν λάβῃ, *si modo chorum nacti fuerint*, in quo illud *modo* quam vim habeat non perspicio; expectabam, *si semel chorum acceperint*. Eam ob causam aut ἢν ἅπαξ μόνον λάβῃ χορόν, aut quod praefero ἢν ἅπαξ χορὸν λάβῃ, μόνον προσουρήσαντα scribendum suspicor, quo hoc etiam efficitur, ut προσουρήσαντα iam aptissime adiunctum habeat μόνον, *nihil illi aliud quam immingunt* tragoediae, non autem eam foecundant; hoc autem volebat Dionysus, ut statim ipse dicit γόνιμον δὲ ποιητὴν ἂν οὐχ εὕροις ἔτι.

Vs. 114.

πόλεις, διαίτας, πανδοκευτρίας, ὅπου
κόρεις ὀλίγιστοι.

Non sine causa Herwerdenus in πανδοκευτρίας offendit, tabernas potius quam mulieres cauponarias a poeta commemorandas fuisse dicens. Itaque πανδοκεῖ' ἄριστ' a poeta scriptum fuisse suspicatur. Non credo tamen sollicitandam esse liborum scripturam; coniungenda enim διαίτας πανδοκευτρίας, ut πανδοκεύτριαι adiectivi potestatem habeat.

Vs. 151.

ἢ Μορσίμου τις ῥῆσιν ἐξεγράψατο.

Cobetus *ῥῆσίν τιν'* pro *τις ῥῆσιν*, cuius correctionis quam causam habuerit intelligere mihi videor; facilius mihi *ἢ εἰ* scribendum videtur, ceteris non mutatis. Alia proposuit Bergkius, quem vide.

Vs. 155.

ὄψει δὲ φῶς κάλλιστον ὥσπερ ἐνθαδί.

Communis erat opinio initiatos apud inferos multo splendidiore sole frui quam in superis. Virgilius Aen. VI. 640. *largior hic campos aether et lumine vestit purpureo solemque suum sua sidera norunt.* Quare vide ne scripserit poeta *κάλλιον ἤπερ.*

Vs. 186.

τίς ἐς τὸ λήθης πεδίον, ἢ 'ς Ὄκνου πλοκάς,
ἢ 'ς Κερβερίους, ἢ 'ς κόρακας, ἢ 'πὶ Ταίναρον;

Legebatur *ὄνου πόκας*, quod cum multas dubitationes habeat, exhibui quod Aristarchum legisse ostendisse mihi videor Fragm. Com. gr. II. p. 204. In altero versu importune Taenarus commemoratur, qui ne est quidem in inferis et exitum potius praebebat mortuis, quam ut simul cum ceteris inferorum locis et terroribus commemorari potuerit. Vix dubitandum videtur quin *Τάρταρον* a poeta scriptum sit.

Vs. 340.

ἔγειρε φλογέας λαμπάδας ἐν χερσὶ γὰρ ἥκει τινάσσων,
Ἴακχ' ὦ Ἴακχε.

Intactam reliqui librorum scripturam, cuius perquam incerta medela est. Alii, ut Hermannus, *γὰρ ἥκει*, alii *τινάσσων* eiecerunt, alii denique *τινάσσων* ad sequentem versum traxerunt deleto, quod deleri non debet, *Ἴακχ'*. Si *γὰρ ἥκει* eliminandum est, praeterea *ἔγειρ' ὦ* scribendum erit; fortasse tamen *τινάσσων* removendum, sed sic ut eadem opera *ἐγείρων* scribatur, et *Ἴακχ' ὦ Ἴακχε* ita dictum statuatur, ut e. c. *io triumphe* apud Horatium

Carm. IV. 2. *non semel dicemus io triumphe*, h. e. ut *Ἴακχ' ὦ Ἴακχε* pro interiectione habeatur, non autem ut chorum his verbis ipsum deum alloqui putemus. Quidquid est, ii non recte facere videntur qui *ἔγειρε* a reliqua oratione separant chorumque semet ipsum compellare existimant et pro *ἐγείρου* dictum sumunt, aut hoc ipsum *ἐγείρου* reponunt.

Vs. 359.

ἢ στάσιν ἐχθρὰν μὴ καταλύει μηδ' εὔκολός ἐστι πολίταις.

Nescio quam ob causam Cobetus *ἐχθρὰν* vitii suspectum habeat et *ἐχθρῶν* reponi voluerit; *στάσιν ἀργαλέαν* dixit Aristophanes Thesm. 788. atque ipsum illud *στάσιν ἐχθρὰν* Euripides Cresph. fr. 462. *τὰν δ' ἐχθρὰν στάσιν εἶργ' ἀπ' οἴκων.*

Vs. 369.

τοισίδ' ἀπαυδῶ καὖθις ἀπαυδῶ καὖθις τὸ τρίτον μάλ' ἀπαυδῶ.

Pro *τοισίδ' ἀπαυδῶ* codd. omnes *τούτοις ἀπαυδῶ*, *τούτοισιν ἀπαυδῶ* editiones ante Brunckium, qui *τούτοις αὐδῶ* ex Gellio Praef. p. 11. edidit, ubi tamen Gronoviana habet *τοῖσι αὐδῶ*. Bentleius *τοῖσιν ἀπαυδῶ*, Kockius *οἷσιν ἀπαυδῶ* coniecit. His omnibus potius mihi visum est quod edidi *τοισίδ' ἀπαυδῶ*.

Sequitur statim *ὑμεῖς δ' ἀνεγείρετε μολπὴν καὶ παννυχίδας τὰς ἡμετέρας αἳ τῇδε πρέπουσιν ἑορτῇ.* Nihil mutant libri, at ineptum esse quod pervigilia excitari dicuntur optime intellexit Hamakerus; proinde correxit vir doctissimus *καὶ παννυχίσιν ταῖς ἡμετέραις καὶ τῇδε πρέπουσαν ἑορτῇ*, cuius emendatione sic usus sum, ut totum versum ita refinxerim:

κατὰ παννυχίδας τὰς ἡμετέρας καὶ τῇδε πρέπουσαν ἑορτῇ,

i. e. excitate cantum nostris pervigiliis accommodatum, qui non infrequens praepositionis *κατὰ* usus est.

Vs. 397.

Ἴακχε πολυτίμητε, μέλος ἑορτῆς
ἥδιστον εὑρών.

Unus omnium interpretum Kockius intellexit non posse Iacchum carminum in hac bacchica solennitate canendorum auctorem praedicari; non probari tamen posse videtur quod coniecit pro eo μέρος, quod sic intelligi voluit, ut Iacchi supplicatio pulcherrima Eleusiniorum pars esse dicatur. Mihi dubitari non posse videtur, quin poeta τέλος ἑορτῆς scripserit. Notum est homericum illud οὐ γὰρ ἔγωγέ τί φημι τέλος χαριέστερον εἶναι. Cum ἑορτὴ coniunxit Euripides Med. 1382 (1349) γῇ τῇδε Σισύφου σεμνὴν ἑορτὴν καὶ τέλη προσάψομεν, quamquam huius loci paulo alia est ratio.

Vs. 519.

ἴθι νυν φράσον πρώτιστα ταῖς ὀρχηστρίσιν
ταῖς ἔνδον οὔσαις αὐτὸς ὅτι εἰσέρχομαι.

In his multa insunt quae dubitationes movent gravissimas. Quorsum enim πρώτιστα? nihil prorsus Dionysus praeter hoc ipsum, se introiturum esse, iniungit famulae. Quare multo rectius τάχιστα scripsisset poeta. Tum non αὐτὸς dicere debebat, sed καὐτός. Intus sunt saltatrices, itaque non *se introiturum* esse dicere debebat, sed *se ipsum quoque*. Praeterea pro εἰσέρχομαι emendati sermonis lex postulabat futurum. Porro quid est quod ταῖς ἔνδον οὔσαις additur de puellis, quas intus esse omnes norant. Denique totum illud quod adventum suum praenunciari iubet nullo plane consilio fictum est; nihil enim prius habet Dionysus, quam ut statim postquam de venustulis illis audivit ingrediatur. Hae rationes me dudum commoverant, ut ambo versus in marginem reicerem, qua in re Hamakerum me consentientem habere postea cognovi.

Vs. 565.

νὼ δὲ δεισάσα γέ που
ἐπὶ τὴν κατήλιφ' εὐθὺς ἀνεπηδήσαμεν.

Ita codices optimi RV., vulgo *δείσασαι*, quae scioli emendatio est metro timentis. At ne edita quidem lectio ferri potest; atticus enim sermo *δείσαντε* requirit, non *δεισάσα*. Aristophanem scripsisse suspicor *νὼ δὲ δὴ δείσαντέ που*.

Vs. 573.

ὡς ἡδέως ἄν σου λίθῳ τοὺς γομφίους
κόπτοιμ' ἄν.

Graeci non *κόπτειν τοὺς ὀδόντας* dicere solent, sed *ἐκκόπτειν*, ut ipse Aristophanes supra locutus est vs. 548. *μοὐξέκοψε τοὺς χορούς τοὺς προσθίους*, et Phrynichus Com. gr. II. p. 603. *τοὺς γομφίους ἅπαντας ἐξέκοψε*. Cfr. Nub. 24. Quare vide ne hic quoque scribendum sit:

ὡς ἡδέως τοὺς γομφίους ἄν σου λίθῳ
'κκόπτοιμ' ἄν.

Vs. 582.

ὦ Ξανθίδιον. καὶ πῶς ἂν Ἀλκμήνης ἐγώ —

Nisi egregie fallor *Ξανθίδιον* secunda brevi dici non potuit; posset sane si a *Ξάνθος* esset, at a *Ξανθίας* descendit *Ξανθίδιον* secunda longa, ut *οἰκίδιον* ab *οἰκία*, *οὐσίδιον* ab *οὐσία* atque ita constanti et perpetuo usu. Eam ob causam aut *ὦ* delendum aut *ὦ Ξάνθιον* scribendum arbitror.

Vs. 593.

ἀνανεάζειν πρὸς τὸ σοβαρόν.

Postrema verba ad versum necessaria e scholiis Rav. aliorumque librorum supplevi, ubi ad *ἀνανεάζειν* adscriptum est *σεαυτὸν πρὸς τὸ σοβαρόν*. Nimirum glossator ad *ἀνανεάζειν* adscripserat *σεαυτόν*, ratus verbum hoc activa potestate dictum esse; cetera autem *πρὸς τὸ σοβαρόν*, ut passim factum est, e contextu poetae in scholion detrusa sunt.

Vs. 608.

ὁ Διτύλας χὡ Σκεβλύας καὶ Παρδόκας
χωρεῖτε δευρὶ καὶ μάχεσθε τουτῳί.

Aeacus cum duobus satellitibus in scenam proruperat eosque Xanthiam, Dionysi habitu indutum, vincire iusserat. En subito tres prodeunt, quae quidem res tanto difficiliorem explicatum habet, cum priores illi et ipsi in scena praesentes adsint. Non dubitavi tollere hos versus ex alia fabulae recensione servatos. Aliam viam Hamakerus ingressus est, qui primum versum ante 605. transponit, alterum delet, vs. 606, ne dualis ἀνύετον impedimento sit, οὐκ ἀνύσαθ' corrigit et vs. 607. ob eandem causam indicata unius syllabae lacuna πρόσιτον mutavit in πρόσιτ'. Haec omnia ne minimam quidem veritatis speciem habent; contra sublatis illis versibus ipse vides quam recte omnia pracedant.

Vs. 611.

κλέπτοντα πρὸς τἀλλότρια; ΑΙ. μάλλ' ὑπερφυᾶ.
ΞΑΝΘ. σχέτλια μὲν οὖν καὶ δεινά.

Verba μάλλ' ὑπερφυᾶ recte Dobraeus Xanthiae adempta Aeaco attribuit; at sequentia σχέτλια μὲν οὖν, quae Aeaci erant, Dobraeus autem cum codicibus nonnullis Dionyso assignavit, ego Xanthiae continuavi, concedenti pessima quaeque sibi vitio dari, at nihil horum omnium se perpetrasse affirmanti. Ita multo rectius instituti colloquii ratio procedit. Dionysus dixerit: nonne indigna res est, istum alios verberare qui aliena furari consueverit? Ad quae Xanthias: imo non tantum indigna res est, sed omnem modum excedit; atqui si unquam ego huc veni, ita me deus iuvet, emori volo.

Vs. 664.

Δ. Πόσειδον. Ξ. ἤλγησέν τις.
Δ. ὃς αἰγαίου πρῶνας ἢ γλαυκᾶς μέδεις ἁλὸς ἐν
βένθεσιν.

Non credibile mihi videtur quod Dindorfius praeeunte Hermanno statuit, verbis ἁλὸς ἐν βένθεσιν impleri versum

Πόσειδον. ἤλγησέν τις. Imo poeta imperfecto senario usus est ut in locis ad Plut. 422. indicatis. Versu seq. accusativum *πρῶνας* Berglerus repetendo *ἔχεις* ex Hipponactis versu 659. explicari posse existimabat, quod suo iure reiecit Dindorfius. Multo probabilius Bergkius ipsum illud *ἔχεις* excidisse statuit. At fortasse recte Scaliger aliique *πρωνός* corrigunt.

Vs. 679.

ἐφ᾽ οὗ δὴ χείλεσιν ἀμφιλάλοις
δεινὸν ἐπιβρέμεται
Θρῃκία χελιδὼν
ἐπὶ βάρβαρον ἑζομένη πέταλον·
ῥύζει δ᾽ ἐπίκλαυτον ἀηδόνιον νόμον.

Nihil proficitur Herwerdeni coniectura *ἐπὶ βάρβαρον — πετάλου*, siquidem aves non foliis arborum insident sed ramis. Paulo melius esset *ὑπὸ βάρβαρον ἑζομένη πέταλον, sub foliis latitans.* Sed subest haud dubie gravior corruptela. Ad veram loci scripturam ducit opinor optimorum librorum scriptura, qui pro *ῥύζει*, quae Dindorfii coniectura est, *κελαρύζει* habent, aliis libris *κελαδεῖ* praebentibus. In *κελαρύζει* autem latere suspicor *κέλαδον ῥύζει*; expungendum igitur videtur *πέταλον* ab interpolatrice manu ad *ἑζομένη* additum, postquam *κέλαδον ῥύζει* in *κελαρύζει* abierat. Iam totum locum ita scribendum opinor:

ἐφ᾽ οὗ δὴ χείλεσιν ἀμφιλάλοις
δεινὸν ἐπιβρέμεται Θρῃκία χελιδὼν
ὑποβάρβαρον ἑζομένη κέλαδον —

Verborum ordo hic est *ἐφ᾽ οὗ χείλεσιν ἑζομένη χελιδὼν ὑποβάρβαρον κέλαδον ἐπιβρέμεται*, cuius in labris sessitans hirundo subbarbarum sonitum fremit.

Vs. 696.

ἀλλ᾽ ἐπαινῶ· μόνα γὰρ αὐτὰ νοῦν ἔχοντ᾽ ἐδράσατε.

Parum prudenter poeta *hoc solum* recte fecisse dicit Athenienses, quorum animos si sibi conciliare atque con-

siliis suis promptos reddere volebat, meo iudicio *μάλα* potius vel *πάνυ* quam *μόνα* dicere debebat. In sequentibus revocavi Rav. scripturam *αἰτουμένους*, *rogatos*, quod cum *ὑμᾶς* coniungendum. Sed *προσήκουσιν γένει* non erat cur sollicitarem.

Vs. 720.

ταὐτὸν ἔς τε τῶν πολιτῶν τοὺς καλούς τε κἀγαθοὺς
ἔς τε τἀρχαῖον νόμισμα καὶ τὸ καινὸν χρυσίον.

Haec neque per se constant neque cum sequentibus conciliari possunt. Prorsus enim absurdum est, cives *καλοὺς κἀγαθοὺς* comparari cum veteribus numis et novis h. e. cum bonis et malis. Cum sequentibus autem haec pessime coeunt ideo, quod statim pergit *οὔτε γὰρ τούτοισιν οὖσιν οὐ κεκιβδηλευμένοις*, quae grammatica ratio ad *τὸ καινὸν χρυσίον adulterinos numos* referri, sententia autem ad *τἀρχαῖον νόμισμα* trahi postulat. Plane igitur assentior Hamakero verba *καὶ τὸ καινὸν χρυσίον* ab imperito librario interpolata esse statuenti. Aristophanes, ut equidem opinor, nihil aliud scribere potuit quam:

ἔς τε τἀρχαῖον νόμισμα καὶ κρατίστου κόμματος,

sive quod eodem redit *καὶ καλῶς κεκομμένον*, quemadmodum vs. 725. nummi male excusi dicuntur *χθές τε καὶ πρῴην κοπέντα τῷ κακίστῳ κόμματι.* Non dubitavi hanc emendationem in ordinem recipere, ne relinqueretur poetae quod certo non scripsit neque scribere potuit.

Haec ante hos quattuor annos scripsi; nunc motas difficultates minore negotio componi posse intelligo. Scribendum enim:

ταὐτὸν ἔς τε τῶν πολιτῶν τοὺς κακούς τε κἀγαθούς,
ἔς τε τἀρχαῖον νόμισμα καὶ τὸ καινὸν χρυσίον.

Ita dicitur quod dici debuit; malos cives novis, bonos antiquis nummis comparat. Alterum autem illud, quod de verbis *οὔτε γὰρ τούτοισιν οὖσι* dixi, ita facillime removeri potest, si scripseris *οὔτε γὰρ τούτοισι τοῖσιν οὐ κεκιβδηλευμένοις*, quibus iam ad amussim respondent in

sequentibus *ἀλλὰ τούτοις τοῖς πονηροῖς χαλκίοις*. Ceterum de aureis Atheniensium v. Boeckhium Staatshaushaltung der Athener vol. I. p. 33.

Magna item dubitatio de vs. 726.

ἔν τε τοῖς Ἕλλησι καὶ τοῖς βαρβάροισι πανταχοῦ,

qui cum eo quo vulgo legitur loco ab Aristophane scriptus esse non possit (aperte enim grammaticae legi repugnat, quae orationem ita formatam postulat *οὔτ᾽ ἐν Ἕλλησιν οὔτ᾽ ἐν βαρβάροις*), Hermannus eum delevit, Bergkius autem post 722. transponi voluit. Deleri non posse epirrhema docet, cui quos Hamakerus versus subtraxit, ut numeros exaequaret, eos ab omni interpolationis suspicione tutos praestat accurata rerum traditarum cognitio, de qua optime disputavit Eduardus Meier. Neque vero transpositio illius versus probari posse videtur; quid enim attinebat dici, Atticis nummis neque alios Graecos neque *barbaros* uti melioribus? Si quid ego video, versui illi nonnisi in fine sententiae h. e. post 725. locus est, ut sic procedat oratio: veteribus nummis nusquam, novis autem ubique utimur. Eo igitur loco eum posui.

Vs. 730.

τοῖς δὲ χαλκοῖς καὶ ξένοις καὶ πυρρίαις
καὶ πονηροῖς κἀκ πονηρῶν εἰς ἅπαντα χρώμεθα
ὑστάτοις ἀφιγμένοισιν.

Pro *ὑστάτοις* requiro *ὑστέροις*. Comparantur novitii homines cum antiquis civibus; quibus illi seriores civitatem adepti erant. Tum magnam offensionem habent verba *εἰς ἅπαντα χρώμεθα*, quae non est genuina et attica structura. Constans enim et perpetuus dicendi usus *χρῆσθαι* cum accusativo eius rei, cui adhibetur aliquid, coniungi postulat. Eam ob causam *οὖσι πάντα* edidi pro *εἰς ἅπαντα;* ac participium etiam propter *κἀκ πονηρῶν* requirebam. Denique *χαλκοῖς* vereor ne non sanum sit. Sunt qui *subdolos* intelligant; at hi *ὑπόχαλκοι* dicuntur, non *χαλκοῖ ἄνδρες*, qui sunt homines armati,

velut apud Herodotum II, 152. aliosque. Itaque totum locum ita refingo:

τοῖς δὲ μαλακοῖς καὶ ξένοις καὶ πυρρίαις
καὶ πονηροῖς κἀκ πονηρῶν οὖσι πάντα χρώμεθα
ὑστέροις ἀφιγμένοισι.

Ex his emendationibus οὖσι πάντα recepi; μαλακούς autem intelligit poeta pathicos, quos quam apte hic commemorarit atque antiquae fidei et virtutis hominibus opposuerit quivis videat. Mox vs. 734. ἀλλὰ καὶ νῦν ὠνόητοι μεταβαλόντες τοὺς τρόπους, scribendum videtur κἂν νῦν, *nunc certe*, de quo dixi olim ad Menandri Reliquias p. 121.

Vs. 764.

σίτησιν αὐτὸν ἐν πρυτανείῳ λαμβάνειν
θρόνον τε τοῦ Πλάτωνος ἑξῆς· ΞΑΝΘ. μανθάνω.
ΑΙΑ. ἕως ἀφίκοιτο τὴν τέχνην σοφώτερος.

Xanthiae illud μανθάνω Aeaci narrationi interiectum praeter rem illatum est. Recte hoc haberet, si Aeacus interrogasset μανθάνεις; ut est apud Antiphanem Fragm. Com. vol. III. p. 109. ipsumque Aristophanem Av. 1003. Itaque deleta Xanthiae persona scribendum suspicor:

θρόνον τε τοῦ Πλούτωνος ἑξῆς, μανθάνεις;
ἕως ἀφίκοιτο τὴν τέχνην σοφώτερος.

Ita Crates apud Polluc. IX. p. 62. ἡμίεκτόν ἐστι χρυσοῦ, μανθάνεις; ὀκτὼ 'βολοί. Cratinus Athenaei XIV. p. 653. a. ἰσχάδας οἴσεις τῶν μελαινῶν, μανθάνεις; Antiphanes ib. X. p. 455 f. τροφαλίδας τε λεπτοσάρκους, μανθάνεις; τυρὸν λέγω. Eubulus apud schol. Il. π 234. εὔχρων τι κιλλόν, μανθάνεις; θερίστριον. Alexis Athenaei IX. p. 383. παρατίθει γ' αὐτὰ παῖ, ὅταν παρατιθῇς, μανθάνεις; ἐψυγμένα, et VIII. p. 354. d. ἁπανταχοῦ φήσ' ἀγαθὸν εἶναι, μανθάνεις; τὸ δ' ἡδὺ πάντως ἡδύ.

Vs. 771.

ὅτι δὴ κατῆλθ' Εὐριπίδης, ἐπεδείκνυτο —

Pro δὴ Barocc. et Cantabr. 1. δὲ habent, quod sine controversia verum est. Sic enim demum narratio recte

et ordine procedit: Aeschylus tragicum solium tenebat; quum primum autem Euripides descendit, statim edito artis specimine, fiducia elatus capessivit thronum. Nimirum Aeacus, Xanthiae interrogationem *νυνὶ δὲ τίς;* nihil curans, in coepta oratione pergit, prorsus ut 798. 800. 808.

Vs. 790.

νυνὶ δ' ἔμελλεν, ὡς ἔφη Κλειδημίδης,
ἔφεδρος καθεδεῖσθαι.

De Clidemide nihil constat. Verba autem sic intelligi video, ut Clidemides illud *ἔφεδρος καθεδοῦμαι* frequenti sermone usurpasse existimetur. Quae affectata est interpretandi ratio. Scripsi mutata interpunctione:

νυνὶ δ' ἔμελλεν, ὡς ἔφη, Κλειδημίδης
ἔφεδρος καθεδεῖσθαι.

hoc sensu: nunc autem, ut dicebat, tanquam alter Clidemides vel Clidemidis instar tertiarius sedere volebat. Itaque *ἔφη* ad Sophoclem referendum est. De Clidemide etsi nihil aliunde constat, hoc tamen nunc satis apparet, saepe eum tertiarii munere functum fuisse.

Vs. 881.

ῥήματα καὶ παραπρίσματ' ἐπῶν.

Corruptum sine dubio est *ῥήματα,* nec male Kockius *πρέμνα τε* coniecit, aliis minus apte *ῥήγματα* vel *ῥεύματα* commendantibus. Mihi aliquando *κρημνά τε* reponendum videbatur. Ita *κρημνοποιὸς* Aeschylus dicitur Nub. 1367. eidemque *ῥήματα ἱππόκρημνα* tribuuntur Ran. 929. et Cleonem *κρημνοὺς ἐρείποντα* habes Equit. 628. Nec de usu generis neutrius dubitandum est, cum *κρημνός* primitus adiectivum fuerit. Exemplum tamen non habeo nisi unum Porphyrii apud Stobaeum Ecl. phys. vol. II. p. 116, 29.

Vs. 957.

νοεῖν ὁρᾶν ξυνιέναι στρέφειν ἐρᾶν τεχνάζειν.

Aperte corruptum est *ἐρᾶν,* quod Fritzschius ita emendari posse existimavit si *στροφῶν ἐρᾶν* scribatur. Idem

postea Halbertsma proposuit; nec displicet, quamquam videndum an *περᾶν* sufficiat, id ut non differat a *περαίνειν*, quod dialecticorum esse constat argutis conclusionibus omnia demonstrantium; hinc *περαντικὸς* apud Aristophanem Equ. 1378. Sed fateor alteram formam *περᾶν* hoc sensu nondum repertam esse.

Vs. 1001.

εἶτα μᾶλλον μᾶλλον ἄξεις
καὶ φυλάξεις.

Nihildum allatum est a criticis, quod corrupto verbo *ἄξεις* medeatur; quod enim Kockius et Bergkius proposuerunt, quorum ille *ἕλξεις*, alter autem *οἴξεις* coniecit, utrumque elegantissimam alliterationem tollit. Praeterea neque *οἰγνύναι ἱστία* dici memini, nec *ἕλκειν* hic aptum est. Ipse olim *μᾶλλον ἆσσον ἄξεις* tentavi *propius propiusque naviculam contra adversarium duces;* sed *μᾶλλον μᾶλλον* aegre poetae eripiam.

Vs. 1011.

ἀλλ' ἐκ χρηστῶν καὶ γενναίων μοχθηροτάτους ἀπέ-
δειξας.

Pro *μοχθηροτάτους* Ven. habet *μοχθηροτέρους*, Rav. *μοχθηρούς*, cui si quid tribuendum est, conicere possis *μοχθηροὺς ἀνταπέδειξας*.

Vs. 1028.

ἐχάρην γοῦν ἡνίκ' ἤκουσα περὶ Δαρείου τεθνεῶτος.

Haec librorum scriptura est, foedissime ab imperito scriba corrupta. Emendationis adhuc nihil allatum est quod memoria dignum sit, nisi quod Dindorfius Philol. Gott. XIII. p. 494. coniecit *ἡνίκα φάσμ' ἐφάνη Δαρείου τοῦ τεθνεῶτος*. At poterant haec leniore remedio eoque, ni fallor, certissimo restitui:

ἐχάρην γοῦν ἡνίκ' ἰὰν ἤκουσ' ἀπὸ Δαρείου τεθνεῶτος,

in quo *ἀπὸ* per tmesin admodum usitatam a *τεθνεῶτος* separatum est.

Vs. 1030.

ταῦτα γὰρ ἄνδρας χρὴ ποιητὰς ἀσκεῖν.

Dixit in praecedentibus Aeschylus se edita Persarum fabula gloriae vincendique cupidinem in animis civium excitasse, *κοσμήσας ἔργον ἄριστον.* His infert illa quae supra adscripsi, in quibus *ἀσκεῖν meditari* non recte dictum est. Quare *φάσκειν* corrigebam, cui fortasse iniuria praetuli coniecturam Hamakeri *λάσκειν* emendantis.

Vs. 1070.

ἢ 'ξεκένωσεν τάς τε παλαίστρας καὶ τὰς πυγὰς ἐνέτριψεν.

Quae intritae nates sint quum intelligi prorsus non possit, pro *ἐνέτριψεν* aut *συνέτριψεν* aut *ἐπέτριψεν*, i. e. *pessumdedit*, scribendum esse suspicor. Quod *ἐξεκένωσε τάς τε παλαίστρας* scripsit poeta pro *ἐξεκένωσέ τε τὰς παλαίστρας*, metri necessitate coactus fecit; non prorsus dissimilis est structura Av. 777. sqq.

Vs. 1099.

μέγα τὸ πρᾶγμα, πολὺ τὸ νεῖκος, ἁδρὸς ὁ πόλεμος ἔρχεται,
χαλεπὸν οὖν ἔργον διαιρεῖν,
ὅταν ὃ μὲν τείνῃ βιαίως,
ὃ δ' ἐπαναστρέφειν δύνηται κἀπερείδεσθαι τορῶς.

Insolentiam dictionis *διαιρεῖν πόλεμον* tolli posse existimabam corrigendo *χαλεπὸν οὖν τοὔργον διαιρεῖν*, cum vidi Nauckium Bulletin de l' Acad. de St. Pétersbourg vol. VI. p. 60. *ἔχθραν* pro *ἔργον* corrigere, allato Phrynicho Bekk. p. 36, 14. *διαιρεῖν ἔχθραν· διαλύειν καὶ διακρίνειν.*

Vs. 1122.

ἀσαφὴς γὰρ ἦν ἐν τῇ φράσει τῶν πραγμάτων.

Versus haud dubie spurius. Nihil in prologorum Aeschyleorum censura Euripides reprehendit quod ad dictionis obsuritatem in rebus enarrandis pertineat.

Vs. 1130.

ἀλλ᾽ οὐδὲ πάντα ταῦτά γ᾽ ἔστ᾽ ἀλλ᾽ ἢ τρία.

Rav. *ταῦτα πάντα,* eodem ordine Barocc. at praeterea *ταῦτα πάντ᾽ ἔστ᾽,* quo ita uti possis, ut scribatur:

ἀλλ᾽ οὐδὲ ταῦτα πάντ᾽ ἔπη 'στ᾽ ἀλλ᾽ ἢ τρία.

Ac nescio an *ἔπη* prorsus necessarium sit. In sequente parte colloquii multa sunt quae dubitationes movent gravissimas.

Quae 1133. leguntur *πρὸς τρισὶν ἰαμβείοισι προσοφείλων φανεῖ,* non modo obscura sunt sed etiam corrupta, non tamen ita sananda ut Kockius voluit *ἰαμβείοις προσοφλὼν γέλων φανεῖ.* Si quis sine opinione praeiudicata totum locum legat, versus 1132—1135. non poterunt non *ἀσύστατοι* videri, ut non temere mihi statuere videar, qui eos ab interpolatore illatos censeam, quamvis eos in suo Ranarum exemplari legerat etiam Phrynichus. Versus 1134. *ἐγὼ σιωπῶ τῷδ᾽; ἐὰν πείθῃ γ᾽ ἐμοί* ex vs. 1229. *ἐγὼ πρίωμαι τῷδ᾽; ἐὰν πείθῃ γ᾽ ἐμοί* effictus videtur.

Vs. 1160.

οὐ δῆτα τοῦτό γ᾽ ὦ κατεστωμυλμένε
ἄνθρωπε ταὔτ᾽ ἔστ᾽, ἀλλ᾽ ἄριστ᾽ ἐπῶν ἔχον.

Vehementer dubito num *ἐπῶν* recte habeat, neque enim de toto versu agitur, sed de coacervatione synonymorum. Quare nescio an scribendum sit:

ἄνθρωπε ταὐτόν ἐστιν, ἀλλ᾽ ἄριστ᾽ ἔχον,

vel quod praetulerim,

ἄνθρωπε ταὔτ᾽ ἔστ᾽, ἀλλ᾽ ἄριστά πως ἔχον.

In quibus *ταὔτ᾽* non pro *ταὐτὸ* sed pro *ταὐτὰ* positum est. Ad haec quae Dionysus ingerit, item vitiosa sunt:

πῶς δή; δίδαξον γάρ με καθ᾽ ὅτι δὴ λέγεις.

Merito adverterunt haec Hirschigium, audacissimam coniecturam tentantem hanc *καθ᾽ ὅ τι διαφέρει.* Res multo leniore et, ut mihi quidem videtur, aliquanto aptiore coniectura expediri poterat:

πῶς δή; δίδαξον γάρ με καθ᾽ ὅ. τί δὴ λέγεις;

In his *καθ᾽ ὅ* est nostrum in wie fern.

Vs. 1175.

τεθνήκοσιν γὰρ ἔλεγεν, ὦ μοχθηρὲ σύ.

Fuerunt qui haec Aeschylo adsignarent; at Aeschylus nihil unquam inepti interloquitur, quem si Aristophanes tautologiam *κλύειν ἀκοῦσαι* excusantem vel defendentem fecit, crediderim potius excidisse versum, quo se defenderat a crimine tautologiae. At nihil excidit, ac prudenter hoc instituit poeta, ut, cum nihil haberet Aeschylus quo suum illud *κλύειν ἀκοῦσαι* excusare posset, iocularem defensionem Dionyso relinqueret.

Vs. 1209.

τουτὶ τί ἦν τὸ ληκύθιον; οὐ κλαύσεται;

Hunc versum rectius alii libri Dionyso continuant, cuius ingenio melius convenit quam Euripidi, qui etsi non eam gravitatem prae se fert, quam Aeschylo poeta tribuit, nunquam tamen ad scurrilem petulantiam delabitur.

Vs. 1227.

ὦ δαιμόνι᾽ ἀνδρῶν, ἀποπρίω τὴν λήκυθον.

Si recte hic scriptum est *ἀποπρίω*, necessario in Euripidis versu 1229. pro *ἐγὼ πρίωμαι τῷδε* scribendum est *ἐγὼπoπρίωμαι τῷδε*. Hoc postulat constans et perpetua lex dialogi. Sed dubito de verbo *ἀποπρίαμαι*, quod non magis dictum esse videtur quam *ἀπωνεῖσθαι* vel *ἀποπωλεῖν*. Eam ob causam vide an legendum sit:

ὦ 'δαιμόνι᾽ ἀνδρῶν, ἄγε πρίω τὴν λήκυθον.

Quod mox sequitur carmen, in eo duplicis recensionis vestigia non primus animadvertit Hamakerus. Ac sane in altera parte inde a vs. 1257. nihil dicitur, quod non in prima iam dictum sit. Sed ipsum carmen adscribam:

1251 *τί ποτε πρᾶγμα γενήσεται;*
φροντίζειν γὰρ ἔγωγ᾽ ἔχω,
τίν᾽ ἄρα μέμψιν ἐποίσει
ἀνδρὶ τῷ πολὺ πλεῖστα δὴ

καὶ κάλλιστα μέλη ποιή-
σαντι τῶν ἔτι νῦν ὄντων;
θαυμάζω γὰρ ἔγωγ' ὅπῃ
μέμψεταί ποτε τοῦτον
τὸν βακχεῖον ἄνακτα,
καὶ δέδοιχ' ὑπὲρ αὐτοῦ.

Ut ab altera parte incipiam, prorsus non intelligitur, quomodo is qui se mirari profitetur, quo pacto quis Aeschylum reprehensurus sit, simul de eo se timere dicere possit. Haec tam absurda sunt ut non dubitem quin chorus contrarium eius quod nunc dixit dixerit. Itaque haec ita ab auctore scripta fuisse suspicor:

θαυμάζω γὰρ ἔγωγ' ὅπῃ
μέμψεταί ποτε τουτονί
τὸν βακχεῖον ἄνακτα,
κοὐ δέδοιχ' ὑπὲρ αὐτοῦ.

Vides stropham elegantissimam, sed quam eo quo nunc legitur loco a poeta non fuisse positam, apertissime docent quae statim his subiciuntur Euripidis verba:

πάνυ γε μέλη θαυμαστά· δείξει γὰρ τάχα.

Ex quibus intelligitur, carmen chori versu 1256. finitum fuisse. Quae res tam evidens est, ut nihil temere mihi fecisse videar, quod hos quattuor versus in margine posuerim. Sed etiam ea quae restant ut nunc leguntur ab Aristophane non facta sunt. Ac priora illa *φροντίζειν γὰρ ἔγωγ' ἔχω*, in quibus *θαυμάζειν* potius quam *φροντίζειν* expectabam, nunc non attingam; at postrema illa *τῶν ἔτι νῦν ὄντων* metro non minus quam sententiae adversantur. Neque plane tolluntur vitia criticorum coniecturis, quorum Bentleius *τῶν ἔτι νυνί*, Hermannus *τῶν ἔτι γ' ὄντων*, Bergkius denique *τῶν ἔτι καὶ νῦν* coniecèrunt. Equidem cum dubius haererem, utrum *τῶν μέχρι νυνί* an *τῶν πάρος ὄντων* a poeta scriptum esset, prius ut expeditius praeferendum putavi.

Vs. 1301.

οὗτος δ' ἀπὸ πάντων μὲν φέρει, πορνιδίων,
σκολίων Μελήτου, καρικῶν αὐλημάτων.

In his πορνιδίων neque sententiae neque metricae legi accommodatum esse nemo non videt. Praeterea μὲν ferri non potest, quod qui intellexit Porsonus versum ita refinxit:

οὗτος δ' ἀπὸ πάντων πορνιδίων μέλη φέρει,

in quo ut de nimia mutationis audacia taceam, πάντων cum πυρνιδίων coniunctum nescio quomodo displicet. Hoc quidem vitio, si tamen vitium est, caret Kockii πορνιδίων in παροινίων mutantis emendatio, at relinquitur quae relinqui non potest particula μέν. Mihi poeta scripsisse videtur:

οὗτος δ' ἀπὸ πάντων μεταφέρει, πορνῳδιῶν —

Hoc nomine quamvis alias non lecto satis commode vocari potuerunt meretricum cantiunculae, quales e. c. in Ecclesiazusis habemus. Neque πορνῳδίων contra analogiam fuerit.

Vs. 1403.

ἐφ' ἅρματος γὰρ ἅρμα καὶ νεκρῷ νεκρός.

Non sine offensione est diversa eiusdem praepositionis in eodem versu coniunctio. Legitur hic Aeschyli versus etiam apud Schol. Euripidis Phoen. 1194. ubi alius versus additur ἵπποι δ' ἐφ' ἵπποις ἦσαν ἐμπεφυρμένοι. Forsan scribendum est ἐφ' ἅρματος γὰρ ἅρμα, περὶ νεκρῷ νεκρός.

Vs. 1415.

ἐὰν δὲ κρίνω; ΠΛ. τὸν ἕτερον λαβὼν ἄπει,
ὁπότερον ἂν κρίνῃς, ἵν' ἔλθῃς μὴ μάτην.

Horum versuum alterum, quem spurium esse dubitari non potest, delendum putavi. Idem Hamakeri iudicium est. Qui statim sequitur versus, in eo si πύθεσθε pro imperativo accipitur, nullam video causam, cur Hirschigius πύθησθε requirat.

Vs. 1422.

πρῶτον μὲν οὖν περὶ Ἀλκιβιάδου τίν' ἔχετον
γνώμην ἑκάτερος; ἡ πόλις γὰρ δυστοκεῖ.

Satis mirabiliter dictum est *δυστοκεῖ*, quod cum significet *partu laborat*, non intelligo quo id pacto huic loco accommodari possit. Intelligerem si scriptum esset *διστομεῖ*, *ambigue loquitur*. Neque de sequentibus mihi satis constat:

ἔχει δὲ περὶ αὐτοῦ τίνα γνώμην; ΔΙΟΝ. τίνα;
ποθεῖ μέν, ἐχθαίρει δέ, βούλεται δ' ἔχειν.

In quibus pro *τίνα* in Dionysi responso nemo atticae dictionis gnarus non *ἥντινα* requiret. Constans haec graeci sermonis lex est, cui quae adversantur exempla facillima plerumque correctione ad consuetum dicendi usum revocari possunt. Hoc quidem loco *τίνα* Euripidis versui ita coniungi potest, ut cum emphasi quadam iteretur; id vero cum tantum in concitata oratione fiat, cuius hic nulla causa est, videtur alia via ineunda esse, quam ipsa sententia ostendit. Etenim cum in superioribus Dionysus dixerit *τὴν πόλιν διστομεῖν* (si tamen ita recte conieci), ineptum est Euripidem vel Plutonem (huic enim alii hunc versum assignant) e Dionyso quaerere, quam sententiam Atheniensium civitas de Alcibiade conceperit. Vides quo tendat oratio mea. Spurius ille versus est, ab eodem interpolatore confictus, qui tot aliis hanc fabulae partem versibus ditavit. Sublato isto emblemate orationis cursus sine offensione procedit, nec tantum importunum illud *τίνα* tollitur, sed quadrant nunc etiam illa *ποθεῖ μὲν . . . ἔχειν*, quae pessime coeunt cum interrogatione *ἔχει δὲ περὶ αὐτοῦ τίνα γνώμην;*

Vs. 1434.

ὃ μὲν σοφῶς γὰρ εἶπεν ὃ δ' ἕτερος σαφῶς.

Haec ita ab interpretibus intelligi video, ut *σοφῶς* ad Euripidem, *σαφῶς* ad Aeschyli sententiam trahant, quam opinionem novissimus editor Kockius argute quidem nec

tamen ita tuetur, ut ei assensuri sint, qui sincere litigantium poetarum consilia perpenderint. Utriusque consilium sapientiae laudem habet, perspicuitatis autem maiorem adeo Euripidis quam Aeschyli habet consilium aenigmatis ambagibus involutum. Itaque perversum est Dionysi iudicium, cuius perversitatem etiam magis patescere senties, si rem ita contempleris. Qui duos poetas inter se comparat alterique sapientiae, alteri perspicuitatis laudem impertit, eo ipso sapienti perspicuitatis, perspicuo autem sapientiae laudem detrahit. Nullum igitur dubium relinquitur, quin Aristophanes non id quod in libris est scripserit, sed hoc:

ὃ μὲν σοφῶς γὰρ εἶπεν, ὃ δ' ἕτερος σοφῶς,

quo parem utrique sapientiae laudem impertit; atque hanc ipsam ob causam se nescire dicit Dionysus, in quam partem sententiam ferat, qui si inter sapientiam et dictionis perspicuitatem optio ipsi data fuisset, non dubium est quin *τὸν σοφὸν* maluerit quam *τὸν σαφῆ*.

Vs. 1448.

τούτοισι χρησαίμεσθ', ἴσως σωθεῖμεν ἄν.

Ita hunc versum ex V. edidi; in Rav. scriptum est *χρησαίμεσθα σωθείημεν ἄν*, quod Dindorfius et Bergkius secuti sunt; at *σωθείημεν* non est antiquorum Atticorum forma.

Qui hunc proxime excipiunt versus, quamvis ab Hermanno defensos, ego eiciendos putavi, nec servari possunt nisi post 1448. versum excidisse statuas, in cuius fine fuerit particula *ἐπεί*.

Vs. 1460.

εὕρισκε νὴ Δί', εἴπερ ἀναδύσει πάλιν.

Εἴπερ a Seagero in *ᾗπερ* mutatum fortasse servari potest in versu neque Aristophanis neque aetatis Aristophaneae. Interpolatricem manum prodit etiam illud *ἀναδύσει*, quod ab attico scriptore illius aetatis pro *ἀναδύσεται* dici non potuit.

Vs. 1504.

καὶ δὸς τουτὶ Κλεοφῶντι φέρων
καὶ τουτοισί, τοῖσι πορισταῖς —

Pro *τουτοισὶ* vulgo legitur *τουτί*, libri variant inter *τοῦτο, τουτοΐ, τούτοισι*. Hinc scripsi *τουτοισί*. nimirum digito notat homines istos in theatro sedentes. Bergkius *τουτουσί* scripsit, laqueos intelligens. Quae sequuntur 1508. *ταχέως ἥκειν ὡς ἐμὲ δευρὶ καὶ μὴ μέλλειν*, expressit Mnesimachus Athenaei IX. p. 403. a. *ἥκειν ἤδη καὶ μὴ μέλλειν*.

Vs. 1517.

ἢν ἄρ' ἐγώ ποτε δεῦρ' ἀφίκωμαι.

Non *si huc venero* Aeschylo dicendum erat, sed *si huc rediero*. Itaque scribendum est *δεῦρ' αὖ ἵκωμαι*, cum hiatu in anapaesticis versibus licito, ut in Platonis versu Fragm. Com. vol. II. p. 665. *οἱ δ' αὖ ἐκεῖθεν*, ubi attuli Il. *ω*, 595. *σοὶ δ' αὖ ἐγὼ καὶ τῶνδ' ἐπιδάσσομαι*. Adde Archestratum Athenaei VII. p. 300. e. *οὗτος γὰρ αὖ ἐστὶν ἐκεῖθεν*.

ECCLESIAZUSAE.

Vs. 1.

Ὦ λαμπρὸν ὄμμα τοῦ τροχηλάτου λύχνου
κάλλιστ' ἐν εὐσκόποισιν ἐξηρτημένον.

Haec ita intelligi video, ut Praxagora lucernam conspicuo loco suspensam alloquatur. Suspensae lucernae nullum in sequentibus indicium, ac debetur illud *ἐξηρτημένον* Palmerii demum coniecturae: libri enim *ἐξητημένον* habent, et Rav. praeterea *εὐστόχοισιν*, unde edendum putavi:

κάλλιστ' ἐν εὐστόχοισιν ἐξηυρημένον.

Suam quam manibus tenebat lucernam alloquitur, qua nihil pulcrius a sagacibus viris inventum esse dicit. Ac confirmat hoc ipsum scholiasta *κάλλιστα τοῖς σοφοῖς εὑρημένον, τοῖς εὖ σκεπτομένοις*. Rav. scripturam etiam Dobraeus commendavit, pro *ἐξητημένον* coniciens *ἐζητημένον.*

Vs. 16.

τοιαῦτα συνδρῶν οὐ λαλεῖς τοῖς πλησίον.

Non adiutor facinorum mulierum dicendus erat lychnus, sed testis. Causa in promptu est; qui enim facinoris socios se faciunt, ii profecto non verendum ut quae cum aliis fecerunt palam faciant, siquidem ipsi criminis rei tenentur. Eam ob causam scripsi:

καὶ ταῦτα συνορῶν οὐ λαλεῖς τοῖς πλησίον.

Confirmant haec etiam ea quae statim addit Praxagora, *ἀνθ' ὧν συνείσει καὶ τὰ νῦν βουλεύματα.*

Vs. 21.

καταλαβεῖν δ' ἡμᾶς ἕδρας,
ἃς Φυρόμαχός ποτ' εἶπεν, εἰ μέμνησθ' ἔτι,
δεῖ τὰς ἑτέρας πως κἀγκαθεζομένας λαθεῖν.

Res ipsa, quam tangit poeta, perobscura est ac vix unquam plena luce illustrabitur; hoc tamen certum est Praxagoram, cum dicit τὰς ἑτέρας sedes, digito monstrare aliam pnycis partem, ubi se latere posse sperat; at perquam incommoda est particula πως, ut fere legendum putem ὥστ' ἐγκαθεζομένας λαθεῖν. Librorum scripturas attuli in adnotatione critica, ubi Bergkii emendationem memorare neglexi δεῖ τὰς ἑταίρας (*factiosas*) κἀγκαθεζομένας λαθεῖν.

Vs. 34.

τήνδ' ἐκκαλέσωμαι θρυγονῶσα τὴν θύραν.

Valde incerta est verbi θρυγονᾶν scriptura; θρυγονῶσα R, alii τρυγονῶσα, alii denique τρυγανῶσα. Hesychius Θρυγανᾷ· κνᾶται (leg. κνᾷ καὶ) ξύει. Idem Θρυγανᾶν· κρίνειν, quod Bergkio κρούειν, mihi κνύειν scribendum videbatur. Quorum fortasse neutrum verum est, sed scribendum Θυρτανᾶν i. e. τρυτανᾶν, *trutinare*. In Aristophanis loco θρυγονῶσα consentiens cum Rav. habet Theognostus p. 20, 23.

Vs. 43.

ὡς Γλύκη κατώμοσεν
τὴν ὑστάτην ἥκουσαν οἴνου τρεῖς χόας
ἡμῶν ἀποτίσειν κἀρεβίνθων χοίνικα.

Parum commodo loco positum ἡμῶν non probarem tamen si quis ideo in ἡμῖν mutatum vellet. Omnino nullus hic locus est pronomini sive ἡμῶν sive ἡμῖν, quorum utrumque cum ad sententiam prorsus abundet, molestam παραπληρωματικοῦ speciem praebet. Aristophanes opinor ἦ μὴν scripserat.

Vs. 64.

ἐχλιαινόμην ἑστῶσα πρὸς τὸν ἥλιον.

Hoc neque ad sententiam aptum est neque ad metrum. Neque enim corporis calefaciendi causa sole utebatur, sed ut nigricantem inde colorem duceret, quo similior evaderet viro. Itaque *ἐμελαινόμην* mihi olim scribendum videbatur, quod scholiastes legisse videri potest *ὥστε μέλαινα γίνεσθαι, ὡς ἀνήρ,* nunc praetuli quod Bergkius invenit *ἐχραινόμην*, cui favet grammaticus in Bekkeri Anecd. p. 72, 28. *χραίνεσθαι πρὸς ἥλιον· τὸ λεγόμενον ὑπὸ τῶν πολλῶν ἐπικαίειν* (l. *ἐπικαίεσθαι*) *τῷ ἡλίῳ.* Cfr. Galenus vol. VI. p. 47. *ἐξ ἡλίου μελανότης, ἐκ μακρᾶς σκιατροφίας λευκότης.* De metro quod dicebam, *χλιαίνω* constanter primam producit apud poetas scenicos.

Vs. 65.

κἄγωγε· τὸ ξυρὸν δέ γ' ἐκ τῆς οἰκίας
ἔρριψα πρῶτον, ἵνα δασυνθείην ὅλη.

Cum dicit *πρῶτον* se novaculam abiecisse ex domo, quivis expectet aliud illatum iri, quod abiecta novacula fecisset, ut in primae mulieris oratione factum videmus; nihil vero infertur. itaque aut lacunosus locus est aut, quod probabilius videtur, scribendum:

ἔρριψα πρῴην, ἵνα δασυνθείην ὅλη.

Hoc quam proclivi errore in *πρῶτον* corrumpi potuerit, apparebit cogitanti antiquam scribendi rationem *ΠΡΩΙΗΝ.* Eiusdem erroris exemplum praebet Philemonis locus apud Stobaeum Ecl. phys. I, 6, 11. ubi *πρῴην* restituit Bentleius.

Vs. 81.

εἴπερ τις ἄλλος βουκολεῖν τὸ δήμιον.

Ita haec edidi Bothium secutus; nullo sensu vulgo legitur *τὸν δήμιον.* Quid autem Heckerum moverit, ut *βαυκαλᾶν* scribendum esse contenderet pro *βουκολεῖν,* exputare non possum. Ceterum qui post hunc versum vulgo sequuntur sex versus loco suo motos et post eum,

qui nunc nonagesimus nonus est, transponendos esse intellexit Bergkius, quamquam ne sic quidem omnes tolluntur difficultates, neque dubitandum est quin inter vs. 81. et 82. exciderit versus, quo Praxagora ex muliere altera sciscitata erat, quo consilio lanam attulisset.

Vs. 107.

ἤν πως παραλαβεῖν τῆς πόλεως τὰ πράγματα —

Cobeto V. L. p. 116. *τῆς πόλεως τὰς ἡνίας* scribendum videtur, ut legitur Equ. 1109. *τῆς πυκνὸς τὰς ἡνίας,* et in nostra fabula 466. *τῆς πόλεως τὰς ἡνίας.* Sane in Equitum loco etiamsi omnes codices *τὰ πράγματα* haberent, tamen *τὰς ἡνίας* corrigenti lubens accederem. Vix enim *τῆς πυκνὸς τὰ πράγματα* recte diceretur. At in Ecclesiazusis quae causa criticos cogat ut idem reponant, non perspicio. Neglexit Cobetus alium Equitum locum vs. 130. *καὶ πρῶτος ἕξει τῆς πόλεως τὰ πράγματα.* Num hic quoque *τὰς ἡνίας* reponet?

Vs. 110. 115.

καὶ πῶς γυναικῶν θηλύφρων ξυνουσία
δημηγορήσει;

Scholiasta haec e tragico dramate adumbrata esse indicat: *ἐκ τραγῳδίας τοῦτο.* Quaerenti ex quonam responderim ex Euripidis Hypsipyle cll. Apollonio Arg. 1, 653. sqq. qui fortasse etiam in aliis Euripideam fabulam secutus est. In sequentibus Praxagorae dicenti *τὸ σποδεῖσθαι* mulieribus per fortem fortunam suppetere, altera respondere vix potuit: *οὐκ οἶδα· δεινὸν δ' ἐστὶν ἡ μὴ 'μπειρία,* sed *εὖ οἶδα.*

Vs. 125.

ὡς καὶ καταγέλαστον τὸ πρᾶγμα φαίνεται.

Minime elegans huius versus structura est, cui perpauci similes reperiuntur, qui omnes quin corrigendi sint non dubium est. Illius quidem quem adscripsi perfacilis est medela:

ὡς καταγέλαστον τοῦτο πρᾶγμα φαίνεται.

nisi praeferas quod Cobetus voluit, quamquam minus leni medela usus:

οὐ καταγέλαστόν σοι τὸ πρᾶγμα φαίνεται.

Vs. 129.

πάριτ' ἐς τὸ πρόσθεν. Ἀρίφραδες παῦσαι λαλῶν.
κάθιζε παριών. τίς ἀγορεύειν βούλεται;

Nihil sani inesse verbis κάθιζε παριὼν cum recte critici intellexissent, Cobetus viri nomen in παριὼν latere suspicatus est, quem qui sequutus est, Bergkius Παίων vel Πρίων reponendum esse coniecit. Potuit sane tale quid a poeta scribi, necessitatem tamen nominis proprii non video, praesertim cum facillima emendatio suppetat haec:

κάθιζ' ὁ παριών. τίς ἀγορεύειν βούλεται;

i. e. heus tu qui ad dicendum surrexisti conside. Cfr. Demosthenes Phil. II. p. 66. πρῶτον ἡμεῖς οἱ παριόντες (nos oratores) τούτων ἀφέσταμεν, ἔπειθ' ὑμεῖς οἱ καθήμενοι (vos audientes) ἄμεινον Φιλίππου παρεσκεύασθε.

Vs. 151.

ἐβουλόμην μὲν ἕτερον ἂν τῶν ἠθάδων
λέγειν τὰ βέλτισθ', ἵν' ἐκαθήμην ἥσυχος.

Soloecum est et syntacticae legi repugnat dicere ἕτερον ἂν λέγειν. Quare scripsi ἐβουλόμην μὲν ἂν ἕτερον. Cf. Ran. 672. ἐβουλόμην δ' ἂν τοῦτό σε πρότερον νοῆσαι. ib. 866. ἐβουλόμην μὲν οὐκ ἐρίζειν ἐνθαδί. ubi scribe ἐβουλόμην μὲν ἂν οὐκ ἐρίζειν. Vesp. 960. ἐγὼ δ' ἐβουλόμην ἂν οὐδὲ γράμματα (ἐπίστασθαι). Atque habet hoc ipsum quod restitui cod. Γ.

Vs. 153.

νῦν δ' οὐκ ἐάσω, κατά γε τὴν ἐμήν, μίαν
ἐν τοῖς καπηλείοισι λάκκους ἐμποιεῖν.

Quamvis οὐ — μίαν pro οὐδεμίαν dictum defendi posse sciam, coniecerim tamen pro μίαν scribendum esse Μίκαν, quod copae nomen fuerit, strenue vinum aqua miscentis. De mensura huius nominis dictum est ad Lys. 723.

Vs. 193.

τὸ συμμαχικὸν αὖ τοὖθ᾽ ὅτ᾽ ἐσκοπούμεθα
εἰ μὴ γένοιτ᾽, ἀπολεῖν ἔφασκον τὴν πόλιν.

Nescio an iniuria haec vitiosa esse existimaverint critici, quorum Hirschigius pro *ἀπολεῖν* restitui voluit *ἀπερεῖν*, Bergkius autem *ἀπολεῖσθ᾽*. Quod libri habent tantumdem est ac si dixisset poeta *τὸ μὴ γενέσθαι τὴν συμμαχίαν ἀπολεῖν τὴν πόλιν.*

Vs. 202.

σωτηρία παρέκυψεν, ἀλλ᾽ ὀρίζεται
Θρασύβουλος αὐτὸς οὐχὶ παρακαλούμενος.

Cimmerias tenebras Brunckius huic loco offusas esse queritur, neque iniuria. In libris nihil praesidii, quorum optimi habent *ὀρείζεται*, interpolati *οὐ χρήζετε*. Hermannus *ὀργίζεται* tentabat, Dindorfius denique post *ὀρίζεται* plene interpunxit et post 203. unius versus lacunam indicavit. Credo equidem me locum restituisse emendatione facillima *ἀλλ᾽ ὡρᾴζεται*, *delicias facit.* Recte scholiasta: *ὑπερόπτης ὢν τοῦ δήμου ἠβούλετο πάντα δι᾽ αὑτοῦ πράττεσθαι.*

Vs. 227. 231.

τὸν οἶνον εὔζωρον φιλοῦσ᾽ ὥσπερ πρὸ τοῦ.

Haec vitiata esse ostendit formula *ὥσπερ πρὸ τοῦ*, cuius loco *ὥσπερ καὶ πρὸ τοῦ* requiritur, qua octies deinceps in eadem oratione Praxagora utitur, et hic etiam ei utendum erat. Atque habent hoc ipsum Rav. et Flor. qui praeterea *φιλοῦσιν* habent pro *φιλοῦσ᾽*. Vides igitur mendam loci in prima versus parte sitam esse, in qua *τὸν οἶνον* ex manifesta grammatici interpolatione accessit. Id qui intellexit Cobetus tentavit *πιεῖν φιλοῦσ᾽ εὔζωρον ὥσπερ καὶ πρὸ τοῦ.* Aliam rationem Hanovius Exerc. crit. p. 137. inivit, qui *οἶνον φιλοῦσ᾽ εὔζωρον ὥσπερ καὶ πρὸ τοῦ* correxit. Equidem non dubitavi edere:

εὔζωρον ἐμπίνουσιν ὥσπερ καὶ πρὸ τοῦ.

Ex hac scriptura quomodo vulgata nasci potuerit facile

intelligitur; etenim glossemate *τὸν οἶνον* illato, ut reliqua ad trimetri legem conformaret interpolator, pro *ἐμπίνουσι* scribebat *φιλοῦσ'* et *ὥσπερ* pro *ὥσπερ καί*. Optime autem dixit *ἐμπίνουσιν*, quod fortius est simplice *πίνουσιν*, *ingurgitant se meraco*, ut in illo Epicharmi apud Athenaeum VII. p. 236. a. *πολλὰ καταφαγὼν πόλλ' ἐμπιών*, et saepe alias. Quaesitum memini a grammaticis, quae propria in hoc verbo et in *ἐμφαγεῖν* vis sit praepositionis *ἐν*. Res optime explicatur germanico in sich hinein essen, trinken, quae item cupiditatis et vero etiam festinationis notionem adiunctam habent, de qua optime exposuit Cobetus V.L. p. 65.

In eadem Praxagorae oratione non plane constat mihi quid vs. 231. significent verba *ἀλλ' ἁπλῷ τρόπῳ ἐῶμεν ἄρχειν*, quod nescio quam recte *omnimodo* interpretantur critici. Aptius mihi ad sententiam esse videretur, si dixisset poeta *suo modo eas nobis imperare sinamus*, ut paene *αὑτῶν τρόπῳ* scribendum esse suspicer. Commendare hoc videntur quae proxime antecedunt *μηδὲ πυνθανώμεθα τί ποτ' ἄρα δρᾶν μέλλουσιν*. Sed *ἐπέχω* aliorumque iudicium expecto. *)

Vs. 279.

εὖ λέγεις· ἡμεῖς δέ γε
προΐωμεν αὐτῶν· καὶ γὰρ ἑτέρας οἴομαι
ἐκ τῶν ἀγρῶν ἐς τὴν πύκν' ἥξειν ἄντικρυς.

Non apparet quo pertineat *αὐτῶν*; ad rusticas illas, dices, quas in sequentibus commemorat et adventuras esse suspicatur Praxagora. At mira tamen haec est dicendi ratio et vitii suspecta. Fortasse scripserat poeta *ἡμεῖς δέ γε προΐωμεν ἀσταί*. Notum est frequentissimo errore confundi *αὐτὸς* et *ἀστός*, itaque si quando *ἀστ̄* scriptum erat, facile id in *αυτ̄* i. e. *αὐτῶν* corrumpi potuit.

---

*) Recentissima aetate Nauckius Bulletin de l'Acad. de St. Pétersbourg. Tom. VI. p. 30. *ἁπλῷ λόγῳ* coniecit.

Vs. 282.

ἀλλὰ σπεύσαϑ᾽ ὡς εἴωϑ᾽ ἐκεῖ
τοῖς μὴ παροῦσιν ὀρϑρίοις ἐς τὴν πύκνα
ὑπαποτρέχειν ἔχουσι μηδὲ πάτταλον.

Haec qui fieri potuerit ut critici ne animadversione quidem digna putarint, non perspicio; de sententia quidem nulla esse potest dubitatio, at in verbis nulla constructio, nisi quis docere sustineat εἴωϑε pro ἔϑος ἐστὶ dici et cum tertio casu coniungi posse; et ne sic quidem haec recte dicta essent, ut de ὑπαποτρέχειν taceam, in quo quae vis esse possit praepositionis ὑπό, ego certe non intelligo. Locus sine dubio gravissime depravatus est nec nisi forti remedio sanandus. Tentabam equidem:

ἀλλὰ σπεύσαϑ᾽ ὡς οἷόν τ᾽, ἐπεὶ
τοῖς μὴ παροῦσιν ὀρϑρίοις ἐς τὴν πύκνα
ἔστ᾽ ἀποτρέχειν ἔχουσι μηδὲ πάτταλον.

Non dubitavi haec in verborum ordinem recipere, quod qui iusto audacius factum esse dictitabunt, ii cogitent velim, melius esse legi ea quae probabiliter scripsit poeta quam ea quae certo non scripsit. Video nunc unum Bergkium de integritate loci dubitasse, qui εἴωϑε certissime corruptum, pro ὑπαποτρέχειν autem fortasse ὥστ᾽ ἀποτρέχειν reponendum esse monuerit.

Vs. 285.

τοῦτο γὰρ χρὴ
μεμνημένας ἀεὶ λέγειν, ὡς μήποτ᾽ ἐξολίσϑῃ
ἡμᾶς· ὁ κίνδυνος γὰρ οὐχὶ μικρός, ἢν ἁλῶμεν.

In secundo versu pro ὡς fortasse ἵνα scribendum esse indicavi in adnotatione critica; verissime enim Elmsleius docuit ὡς finale apud Aristophanem cum coniunctivo non reperiri nisi addita ἄν particula. Eandem ob causam Dobraeus μὴ καί ποτ᾽ ἐξολίσϑῃ coniecit, Emsleio καὶ μήποτ᾽ ἐξολίσϑῃ praeferente. Vitiosum item esse videtur ἡμᾶς, quod eo loco positum est, quo sine singulari aliqua vi poni non potest. Videtur gravius ulcus latere, ac fortasse scripsit poeta:

ὡς (ἵνα) μήποτ' ἐξολισθῃ.

ὁρμᾶσθ'· ὁ κίνδυνος γὰρ οὐχὶ μικρὸς ἢν ἁλῶμεν.

Huiuscemodi quid etiam propter particulam γὰρ necessarium est, quae ad illam de viri nomine etiam atque etiam usurpando admonitionem referri non potest; potest vero ad ὁρμᾶσθε, *festinate, ne deprehendamur nocturnum facinus machinantes.* Ceterum utrum ὁρμᾶσθε an aliud in eandem sententiam verbum scriptum sit a poeta, non discernam.

Vs. 319.

καὶ τὰς ἐκείνης περσικὰς ὑφέλκομαι.

Verbum ὑφέλκομαι male de induendis calceis interpretantur, in quo eos novitium dicendi genus in errorem induxit; id vero constanti usu dicitur ὑποδοῦμαι, non ὑφέλκομαι. Imo ὑφέλκομαι de protrahendis e loco, ubi abscondita latebant, calceamentis intelligendum est. Cf. Vesp. 187. ὕφελκε θᾶττον αὐτόν, sc. Philocleonem, qui sub ariete latebat.

Vs. 325.

οὐ γάρ ποθ' ὑγιὲς οὐδὲν ἐξελήλυθεν
δράσουσα.

Nescio quid ποτέ hoc loco significet; neque enim hoc dicere voluit *nunquam* uxorem suam bonae rei causa exiisse, quod si voluisset ἐξῆλθε potius quam ἐξελήλυθεν scripsisset; vides hoc potius hominem dicere debuisse, *nequaquam* eam aliquid boni acturam exiisse. Quare scribendum esse videtur:

οὐ γὰρ πρὸς ὑγιὲς οὐδὲν ἐξελήλυθεν —

Fateor δράσουσα sic abundanter additum esse, quod qui ferendum esse negant (et negabunt omnes qui quid res ipsa postulet intellexerint), videant an pro eo λαθοῦσα scribendum sit. Eo enim ipso, quod furtim domum reliquerat, gravissimae de pravo mulieris consilio suspiciones in Blepyri animo commotae erant. Cfr. vs. 337. sqq.

Vs. 342.

φρούδη 'στ' ἔχουσα θοἰμάτιον, οὑγὼ 'φόρουν,
κοὐ τοῦτο λυπεῖ μ', ἀλλὰ καὶ τὰς ἐμβάδας.

Locus corruptus, quem interpretes nihil mali suspicantes sicco pede transierunt. Unde enim pendere dicamus verba *ἀλλὰ καὶ τὰς ἐμβάδας?* quae quo pacto cum totius loci structura conciliari possint non intelligo, poterunt vero in hunc modum correcta: *ἀλλ' ὅτι καὶ τὰς ἐμβάδας, nec hoc tantum aegre fero, sed etiam quod calceos.*

Vs. 364.

τίς τῶν κατὰ πρωκτὸν δεινός ἐστι τὴν τέχνην;
ἀλλ' οἶδ', Ἀμύνων· ἀλλ' ἴσως ἀρνήσεται.

Sic scribendum putavi pro eo quod vulgo legitur *ἆρ' οἶδ' Ἀμύνων;* quod servari posse videtur, si vel *τὰ κατὰ πρωκτόν* vel *τὴν τέχνην τῶν κατὰ πρωκτόν* suppleas, sed utrumque, ut equidem opinor, poeta invito.

Vs. 383.

τὸ δ' αἴτιον τί; ΧΡ. πλεῖστος ἀνθρώπων ὄχλος,
ὅσος οὐδεπώποτ' ἦλθ', ἄθρους ἐς τὴν πύκνα.

Ita haec scripsi; sed alio ducunt codices, quorum Rav. habet *ἦλθεν ἀθρόως, Α. ἦλθεν ἀθρόος*, itaque legendum videtur:

ὅσος οὐδεπώποτ', ἦλθεν ἀθρόως ἐς πύκνα.

πύκνα sine articulo dixit item vs. 243. Ceterum colorem hinc duxit Dionysius Arch. Rom. VII, 17. *ὄχλος γάρ, ὅσος οὐδεπώποτ', ἐκεῖ συνῆλθεν.*

Vs. 390.

οὐδ' εἰ μὰ Δία τότ' ἦλθες, ὅτε τὸ δεύτερον
ἀλεκτρυὼν ἐφθέγγετ'.

Haec quoque vereor ne non integre scripta sint. Pro *μὰ Δία* expectabam *νὴ Δία*. Quare scribendum opinor:

οὐδὲ μὰ Δί' εἰ τότ' ἦλθες, ὅτε τὸ δεύτερον —

Quod ibidem legitur *ἐφθέγγετο* de gallo gallinaceo dictum in rarioribus est et fere orationis sublimioris, ut apud Ionem tragicum fr. 53. *ἀλλ' ὀλιγδρανέων φθογγάζεται.*

Vs. 406.

σαυτοῦ παραλείφειν τὰ βλέφαρα τῆς ἑσπέρας.

Verbum παραλείφειν merito suspectavit Dobraeus, duas ille coniecturas afferens, σαυτοῦ περιαλείφειν βλέφαρα τῆς ἑσπέρας, alteram τὰ βλέφαρα σαυτοῦ περιαλείφειν ἑσπέρας, quarum haec, etsi perelegans, tamen propter mutationis audaciam parum probabilis est. Fortasse παραλείφειν glossema est irrepsitque in locum genuini περιχρίειν; potest vero etiam σοῦ περιαλείφειν conici.

Vs. 455.

τί δῆτ' ἔδοξεν; ΧΡ. ἐπιτρέπειν σε τὴν πόλιν
ταύταις.

Ita codices praeter B. qui γε habet pro σε, a Dindorfio probatum, quorum neutrum cum satis commodum esse videretur, ego aliquando scribendum putabam ἐπιτρέπειν σε δεῖν πόλιν, cui similis est Cobeti coniectura ἐπιτρέπειν δεῖν τὴν πόλιν.

Vs. 458.

ἅπαντ' ἄρ' αὐταῖς ἐστι προστεταγμένα
ἃ τοῖσιν ἀστοῖς ἔμελεν;

Legebatur ἅπαντά τ' ἄρ', quod recte haud dubie emendavit Cobetus. Pro αὐταῖς scribendum putem ἀσταῖς, quod sequentia fere flagitant. Articulus recte omittitur, ut in nostra lingua: Bürgerinnen sollen also hinfort alles verrichten, das bisher den Bürgern oblag?

Vs. 465.

ἐκεῖνο δεινὸν τοῖσιν ἡλίκοισι νώ.

Excidit ante haec versus, cuius haec fere sententia fuerit: haec sane tu bene instituisti, at vero etc. καλῶς σὺ ταῦτά γ', ἀλλὰ ναὶ μὰ τὸν Δία ἐκεῖνο κ. τ. λ. Tum pro νῷν scripsi νώ ex emendatione Dobraei ad Aves 1008. Statim in Chremetis verbis 468. ἢν δὲ μὴ δυνώμεθα nescio an βουλώμεθα scribendum sit propter vs. 470. δρᾷ ταῦθ', ἵν' ἀριστᾷς τε καὶ βινῇς ἅμα. Praeterea personarum vices in toto hoc loco aliter distinxi, ut indicavi in adnotatione critica.

Vs. 482.

μή πού τις ἐκ τοὔπισθεν ὢν τὸ σχῆμα παραφυλάξῃ.

Si quid analogiae tribuendum, scribendum fuerit ἐκ τοὔπισθ' ἰών. Cf. Ran. 286. Pro παραφυλάξῃ vulgo legitur καταφυλάξῃ, quod recte mihi emendasse videor, neque ullum praeterea verbi καταφυλάττειν exemplum est, neque si esset huic loco aptum dicerem.

Vs. 486.

καὶ περισκοπουμένη
. . . . κἀκεῖσε καὶ τἀκ δεξιᾶς.

Lacunam quam metrum ostendit alii aliter supplere instituerunt; Hermannus addebat περιστρέφου, quod propter vicinum περισκοπουμένη nescio quomodo displicet, Cobetus τἀνθένδε καί, Kielius τὰ δεῦρο καί, Holdenus τἀκεῖσε καὶ τὰ τῇδε καὶ τἀκ δεξιᾶς, qui omnes probarunt Fabri coniecturam τἀκεῖσε, cum libri in κἀκεῖσε consentiant. Fortasse verum est:

καὶ περισκοπουμένη
τὰ πάνθ' ὅρα, κἀκεῖσε καὶ τἀκ δεξιᾶς.

Imperativum excidisse ipsa verborum syntaxis docet; ἐκεῖσε quum dicit, sinistram orchestrae partem monstrat.

Vs. 491.

τὴν δ' οἰκίαν ἔξεσθ' ὁρᾶν, ὅθενπερ ἡ στρατηγὸς
ἔσθ' ἡ τὸ πρᾶγμ' εὑροῦσ', ὃ νῦν ἔδοξε τοῖς πολίταις.

Permire mihi dictum videtur ὅθενπερ ἡ στρατηγός ἐστιν, pro quo expectabam ὅθενπερ ᾔει, nisi doceri potest ἐξ οἰκίας εἶναι recte dici de iis qui ex domo prodeunt. Itaque scribendum suspicabar: ὅθενπερ ἡ στρατηγὸς ἦλθ' ἡ τὸ πρᾶγμ' εὑροῦσα.

Vs. 495.

μὴ καί τις ἡμᾶς ὄψεται χἠμῶν ἴσως κατείπῃ.
ἀλλ' εἶα δεῦρ' ἐπὶ σκιᾶς
ἐλθοῦσα πρὸς τὸ τειχίον —

Recte Dobraeus dubitat de ἴσως, cui ἰὼν substituendum putat. Malim ἰδών. Tum non intelligo quo sensu

dictum sit *ἐπὶ σκιᾶς*, nec sufficit quod Brunckius dicit *ἐπὶ* genetivo iunctum motum indicare; *ἐλθοῦσα* enim cum *πρὸς τὸ τειχίον* coniungendum est. Quare vide an *ἐπὶ σκιαῖς* legendum sit, *in umbra. τειχίον* autem illud videtur non procul a pnyce abfuisse nec differre ab eo quod commemoratur Vesp. 1109. *οἳ δὲ πρὸς τοῖς τειχίοις ξυμβεβυσμένοι πυκνός.*

Vs. 503.

χαὗται γὰρ ἥκουσιν πάλαι τὸ σχῆμα τοῦτ᾽ ἔχουσαι·

Locus hic merito advertit Dobraeum, pro *τοῦτο,* quod nisi de virili veste intelligi non potest, requirentem *ταὐτὸ* et *πάλιν* scribentem pro *πάλαι, eodem rursus habitu indutae.* Credo nunc hanc veram esse coniecturam, quamquam quum veteres Attici in *ταὐτὸ* ultimam non eliserint, sed ante vocalem constanter *ταὐτὸν* dixerint, videndum erit ne locus hic gravius corruptus sit, Aristophanes autem scripserit *τὸ σχῆμα τὸ πρὶν ἔχουσαι.*

Vs. 508.

χάλα συναπτοὺς ἡνίας λακωνικάς,
βακτηρίας ἄφεσθε. καὶ μέντοι σὺ μὲν
ταύτας κατευτρέπιζ᾽· ἐγὼ δὲ βούλομαι —

In horum versuum primo complura sunt quibus offendaris: primum singularis *χάλα* medius inter plurales *ῥιπτεῖτε* et *ἄφεσθε* positus, tum *ἡνίαι λακωνικαὶ* de corrigiis calceorum laconicorum dictae, quod quis non miretur in poeta comico? denique tota sententia; calceos exuendos esse iam dixerat versu praecedente *ἐμβὰς ἐκ ποδῶν* *) *ἴτω.* Quo accedit quod qui laxare corrigia iubentur, non etiam calceos exuere iubentur. Haec omnia me movent, ut versum hunc aut aliunde illatum credam, aut si Aristophanis est, poetam nescio quem tragicum rideri, qui *ἡνίας* pro corrigiis dixerat. In tertio versu non apparet quae sit illa cui Praxagora mutandarum chori vestium iniungat negotium. Et omnino quid opus erat tali opera?

*) Ita enim h. l. scribere malim quam *ἐκποδών.*

Hinc suspicor *ταυτὶ* pro *ταύτας* scribendum esse, ut chorum ipsum compellet Praxagora eumque haec recte curare admoneat.

Vs. 532.

μὰ τὼ θεώ,
ἀλλ' ὥσπερ εἶχον ᾠχόμην.

Haec regerit Praxagora marito obscuras quasdam de exitu eius suspiciones moventi; in quibus verba *ὥσπερ εἶχον*, quum probabilem interpretationem non admittant (pallium enim marito se surripuisse quamvis tacito iam vs. 528. confessa erat), aliquid vitii traxisse suspicor. Scribendum puto *οἷπερ εἶπον*. Dixerat autem mulier se amicae puerperio laborantis causa exiisse.

Vs. 544.

ἵνα θοἰμάτιον σώσαιμι, μεθυπεδησάμην
μιμουμένη σε καὶ κτυποῦσα τοῖν ποδοῖν
καὶ τοὺς λίθους παίουσα τῇ βακτηρίᾳ.

Iniuria nonnemo haec in vitii suspicionem vocavit; hoc dicit Praxagora, ut pallium a rapinis nocturnorum grassatorum tutum praestaret, se virilem incessum imitatam esse. Nimirum baculi pulsu pedumque laconicis munitorum strepitu praedones absterreri posse simulat.

Vs. 561.

οὐ γὰρ ἔτι τοῖς τολμῶσιν αὐτὴν αἰσχρὰ δρᾶν
ἔσται τὸ λοιπόν, οὐδαμοῦ δὲ μαρτυρεῖν,
οὐ συκοφαντεῖν.

Non credo haec sine vitio scripta esse; *μαρτυρεῖν* per se in vitio poni potest. Fortasse excidit versus, in cuius initio fuerit *ψευδῆ*. At sufficit fortasse *οὐδαμῇ, οὐ διαμαρτυρεῖν*. De *διαμαρτυρίᾳ* v. Schoemann Proc. Att. p. 638. sqq.

Vs. 565.

μὴ λωποδυτῆσαι, μὴ φθονεῖν τοῖς πλησίον.

Non raro Aristophanes sine sensus discrimine aoristum coniunxit cum praesenti; hoc tamen loco, ubi sexies

praesenti usus est, nescio an pro *λωποδυτῆσαι* rectius scribatur *λωποδυτεῖν σε.*

Vs. 571.

νῦν δὴ δεῖ σε πυκνὴν φρένα καὶ φιλόσοφον ἐγείρειν φροντίδα.

Dindorfius hexametrum dactylicum requiri existimans *φιλόδημον* scribendum coniecit, possis etiam alia tentare e. c. *φιλόκοινον;* ad sententiam tamen *φιλόσοφον* utrique longe praestat. Quare vereor ne nihil mutandum sit; tetrametro dactylico poeta attexuit dipodiam trochaicam. Simillimis numeris usus est Ran. 884.

Vs. 573.

κοινῇ γὰρ ἐπ' εὐτυχίαισιν
ἔρχεται γνώμης ἐπίνοια πολίτην
δῆμον ἐπαγλαϊοῦσα
μυρίαισιν ὠφελίαισι βίου, δηλοῦν ὅτι περ δύναται.

Non bene iungi *κοινῇ γὰρ ἐπ' εὐτυχίαισιν* qui intellexit Reiskius, pro *κοινῇ* scripsit *κοιναῖς.* Cui praetuli ego *κοινῇ γὰρ ἐπ' εὐτυχίᾳ νῦν.* At frustra opinor critici tentant *πολίτην δῆμον,* cui Reisigius *πόλιν πάνδημον,* Bergkius *πολιτῶν δῆμον* substitui voluerunt. Horum alterum expressit etiam Vossius der Städter Volk. Librorum scripturam nescio an ipse tueatur Aristophanes Equ. 42. *πυκνίτην δῆμον* fingens. In postremo versu non ferendus erat infinitivus *δηλοῦν.* Quare scripsi *δηλοῖ δ' ὅτι περ δύναται,* sc. *γνώμης ἐπίνοια,* quod praestare credo Dindorfii coniecturae, *δηλοῦσ' ὅτι περ δύναται* scribentis. Sequuntur continuo haec:

καιρὸς δέ· δεῖται γάρ τι σοφοῦ τινὸς ἐξευρήματος ἡ πόλις ἡμῶν.

Haec non sincere scripta esse ostendit vel vocula *τί,* quae, cum statim sequantur verba *τινὸς ἐξευρήματος,* parum eleganter et contra usum hic infertur. Accedit quod illud *τι* solus Aldus habet, pro eo *τοι* est in aliis libris, in Rav. autem *τοί γε* scribitur. Hoc deleto *γὰρ* recipiendum videtur. *τοί γε* recte iunguntur, ut Equ. 276.

ubi nunc e Porsoni coniectura editur *ἀλλ' ἐὰν μὲν τόνδε νικᾷς* pro *μέν τοί γε νικᾷς*, fortasse etiam Nub. 876. *καί τοί γε ταλάντου τοῦτ' ἔμαθεν Ὑπέρβολος*. Sic enim Rav. Non tamen nescius sum eorum quae dixit L. Dindorfius ad Xenoph. Mem. p. 11.

Vs. 597.

τοῦτο γὰρ ἤμελλον ἐγὼ λέξειν.

Hirschigio numerosius sonatura haec videntur, si scribatur *τοῦτ' ἤμελλον γὰρ ἐγὼ λέξειν*. Poterat facilius *τουτὶ γὰρ ἔμελλον*. Sed nihil novandum in versu, cuius in numeris nihil reprehendendum est. Obiter moneo *ἤμελλον* Aristophanem dixisse nonnisi in versibus anapaesticis, in trimetris constanter *ἔμελλον*, cui legi qui solus repugnat locus Ran. 518. *ἤμελλ' ἀφαιρεῖν χἠ τράπεζ' εἰσῄρετο*, in eo ex Rav. *ἔμελλ'* recte posuit Dindorfius.

Vs. 598.

τὴν γῆν πρώτιστα ποιήσω
κοινὴν πάντων καὶ τἀργύριον καὶ τἄλλ' ὁπόσ' ἐστὶν ἑκάστῳ.

Argentum hic praepostere commemorari, sequentia tam evidenter ostendunt, ut *τἀγροίκων* pro *τἀργύριον* rescribere non dubitarim. Nunc malim fere:

κοινὴν πάντων πᾶν τ' ἔγγειον (vel *καὶ τοὔγγειον*) *καὶ τἄλλ' ὁπόσ' ἐστὶν ἑκάστῳ.*

Quid sit *τὸ ἔγγειον* constat ex Attico titulo apud Boeckhium C. I. vol. I. p. 862, 9. ubi *ἔγγειοι ἐγκτήσεις καὶ οἰκίαι* commemorantur, i. e. *possessiones rusticae*. Plura vide in Stephani Thes. vol. III. p. 23. Adde Grammaticum Bekkeri Anecd. p. 251, 26. *ἔγγαια χρήματα· τὰ ἐπὶ ὑποθήκῃ διδόμενα*, nisi id *ἐγγυαῖα* scribendum. Alius ib. p. 468, 23. *ἀφανὴς οὐσία λέγεται ἡ ἐν χρήμασι καὶ σώμασι* (servis) *καὶ σκεύεσι, φανερὰ δὲ ἡ ἔγγειος*. Nec *τἄλλα* huic loco aptum videtur, pro quo item nomen requiro, quod ad agri culturam spectat, velut *τἄργα*, quod frequentissimo usu de satis dicitur.

Vs. 609.

προτερόν γ᾽ ὦταῖρ᾽, ὅτε τοῖσι νόμοις διεχρώμεθα τοῖς προτέροισιν.

Rav. *ὦ 'τέρ, ὦ τὰν* Par. B, quod cum doctius sit quam quod a librario excogitatum esse videatur, fortasse reponendum est. Certius est *διεχρώμεθα* corruptum esse, quo verbo attici scriptores pro simplici *χρῆσθαι* non utuntur, qui constans et perpetuus Ionum usus est. Quare conicias:

ὅτε τοῖσι νόμοις ἔτ᾽ ἐχρώμεθα τοῖς πτοτέροισιν.

Eandem ob causam improbanda est Athenaei scriptura in Aristophanis Vesp. 124. *πολλῷ γ᾽ ὁ Βάκις ἐχρῆτο τῷ ποτηρίῳ*, ubi *διεχρῆτο* habet Athenaeus XI. p. 460. c., quod non displicuit Dindorfio.

Vs. 611.

ἢν μείρακ᾽ ἰδὼν ἐπιθυμήσῃ καὶ βούληται σκαλαθῦραι,
ἕξει τούτων ἀφελὼν δοῦναι, τῶν ἐκ κοινοῦ δὲ μεθέξει
ξυγκαταδαρθών; ΠΡΑΞ. ἀλλ᾽ ἐξέσται προῖκ᾽ αὐτῷ ξυγκαταδαρθεῖν.

Desidero in his iustum cum praecedentibus nexum; excidit fortasse Blepyri versus hac sententia: *esto, sed tu ad haec mihi responde.* At vide ne plura exciderint atque in his etiam subiectum verbi *ἐπιθυμήσῃ*, ut carere liceat Cobeti coniectura *ἐπιθυμῇ τις* scribentis. Praeterea postrema verba aliquid vitii traxisse suspicor. Importunum est illud *μεθέξει* neque ad sententiam aptum, ut facile intelliget qui sensum loci accurate contempletur. Quare scribendum videtur *παρέξει*, neque id superfluum est post *τούτων ἀφελὼν δοῦναι.* Nisi forte vitium loci in *ξυγκαταδαρθών* latet, quod e *ξυγκαταδαρθοῦσα* corruptum videri potest.

Vs. 627.

ἀπὸ τοῦ δείπνου, καὶ τηρήσουσ᾽ ἐπὶ τοῖσιν δημοσίοισιν
οἱ φαυλότεροι, κοὐκ ἐξέσται παρὰ τοῖσι καλοῖς καταδαρθεῖν
ταῖσι γυναιξὶν πρὶν τοῖς αἰσχροῖς καὶ τοῖς μικροῖς χαρίσωνται.

Nescio qua editione Hirschigius usus sit, ut qui de verbis *οἱ φαυλότεροι* ita loquatur, quasi ea in codicibus

omissa sint. Tyrwhitti haec coniectura erat, qui *οἱ φαυλότεροι* delenda et post *τοῖσι καλοῖς* verba *καὶ τοῖς μεγάλοις* addenda existimabat. V. Gaisfordum ad Euripidis Supplices p. 206. Praestat haud dubie haec ratio Hirschigianae, qui totum hoc *καὶ τηρήσουσ'* — *οἱ φαυλότεροι* deleri voluit, frustra ut equidem opinor in *δημοσίοισιν* haerens, quae non de *διόδοις*, sed de publicis aedificiis, in quibus latebant isti *παιδοπῖπαι*, intelligenda sunt. Quod idem v. d. pro *χαρίσωνται*, quod sane soloecum est, reponi voluit *χαρίσασθαι*, fugit eum idem iam multos ante annos restitutum ivisse Porsonum apud Gaisfordum ad Suppl. l. l. Elmsleium ad Medeam p. 119. Reisigium Coniect. p. 65. Poterant autem haec leniore opera emendari; scribendum enim erat:

ταῖσι γυναιξὶ πρὶν ἂν τοῖς αἰσχροῖς καὶ τοῖς μικροῖς χαρίσωνται.

Nihil frequentius est in codicibus, quam ut *ἂν* post *πρὶν* exciderit, ut statim vs. 752. Praeterea verba *οἱ φαυλότεροι* per interrogationem efferenda et Blepyro tribuenda erant, oratione similiter conformata ut in Avibus v. 1500.

Vs. 645.

ἢ Λευκολόφας πάππαν με καλοῖ, τοῦτ' ἤδη δεινὸν ἀκοῦσαι.

Ita Brunckius scripsit pro *καλεῖ*, quem secuti sunt omnes, immemores illi neque *καλοῖ* recte dici pro *καλοίη*, et *καλεῖ* esse futurum; qua in re vix dici potest quam saepe critici impegerint.

Vs. 657.

ἀλλ' οὐδὲ δίκαι πρῶτον ἔσονται. ΒΛ. τουτὶ δὲ πόσους ἐπιτρίψει.

Haec ita intelligunt, ut sycophantas ex re iudiciaria quaestum cepisse dicant. Verum hoc quidem est, sed h. l. aliud dicitur; *τουτὶ δὲ πόσους* Fabri emendatio est, quam secuti sunt omnes. Ald. *τουτὶ πόσους*, at Rav.

τουτὶ τοὔπος et *Γ. τουτὶ πόσσ'.* Itaque scribendum erat:

ἀλλ' οὐδὲ δίκαι πρῶτον ἔσονται. ΒΛ. τουτὶ τοὔπος
σ' ἐπιτρίψει.

Nihil gravius notant comici quam furorem dicanicum.

Vs. 718 — 724.

ἔπειτα τὰς πόρνας καταπαῦσαι βούλομαι —
κατωνάκην τὸν χοῖρον ἀποτετιλμένας.

Hos septem versus loco sue motos et post 710. transponendos esse existimo; ita coniunguntur argumento affinia, quae in vulgato versuum ordine pessime divelluntur.

Vs. 729.

προχειριοῦμαι κἀξετάσω τὴν οὐσίαν.

Aliena est ab Atticorum usu futuri forma *ἐξετάσω*, pro qua *ἐξετῶ* scribendum esse docet Grammaticus apud Bekkerum Anecd. p. 251, 32. *ἐξετῶμεν· ἐξετάσομεν.* Ac correxit ita Cobetus.

Vs. 739.

σὺ δὲ δεῦρ' ἡ κιθαρῳδὸς ἔξιθι,
πολλάκις ἀναστήσασά μ' εἰς ἐκκλησίαν.

Male gallum gallinaceum intelligunt, qui primo mane dormientes e somno excitat. Hoc si voluisset poeta, vix usus esset genere feminino, praesertim quum salvo metro scribere potuisset *ὁ κιθαρῳδὸς ἔξιθι, πολλάκις ἀναστήσας ἔμ' εἰς ἐκκλησίαν.* Adde quod prorsus incredibile est, gallum domesticae suppellectili accenseri. Non dubium est quin molam dicat poeta, primo mane a servabus strenue motam et argutos cantus cientem. Mirifice sibi placent veteres in hac re describenda. Pherecrates apud Athenaeum VI. p. 263. b. *ἤλουν ὄρθριαι τὰ σιτία, ὥστε τὴν κώμην ὑπηχεῖν θιγγανουσῶν τὰς μύλας.* Nicostratus Stobaei Floril. LXX, 12. p. 30, 15. *χρηστόν γε μὴν καὶ ἀράξαι ποτὲ μύλην καὶ ἐπαφήσεις αὐτῆς διδοῦσαν ὥσπερ ἐπὶ λύρας.*

Vs. 756.

τί δῆτ᾽ ἐπὶ στοίχου 'στὶν οὕτως; οὔ τι μή
Ἱέρωνι τῷ κήρυκι πομπὴν πέμπετε;

Merito *οὔτι μή*, pro quo *ἆρα μὴ* exspectatur, grammaticos advertit, quorum Brunckius *οὔ τι που*, Fritzschius apud Bergkium *εἰπέ μοι* coniecerunt. Lenior medela fuerit aut *οὔτι δή* scribere, aut quod praefero *εἴ τι μή*, *nisi forte*, sublata post *πέμπετε* interrogationis signo. Peius etiam sequentia mulcata sunt, in quibus vs. 758.

ἐς τὴν ἀγορὰν κατὰ τοὺς δεδογμένους νόμους,

interpolatori deberi suspicor. Mirum enim videri debet, Chremetem postea demum, ubi vicinus rursus novarum legum mentionem inicit, ea de re mirari, hic autem solum illud *ἀποφέρειν* urgere, quasi de legibus nil audivisset.

Vs. 761.

ΧΡ. νὴ τὸν Δία τὸν σωτῆρα. Α. πῶς; ΧΡ. πῶς;
ῥᾳδίως.

Haec sensu cassa sunt et adversantur constanti legi sermonis graeci, qui pro altero *πῶς* postulat *ὅπως*. Denique quid *ῥᾳδίως* significet, nemo docere potuit. Itaque nisi hunc versum a sciolo illatum dicas, nil nisi lacinias duorum versuum superesse statuendum erit. Quod si *πῶς* per incuriam iteratum esse et particulam *εἰ* extrivisse statuere licet, satis commode totum locum ita refingas:

Χ. μέλλεις ἀποφέρειν; Α. πάνυ γε. Χ. κακοδαίμων
ἄρ᾽ εἶ
νὴ τὸν Δία τὸν σωτῆρα. Α. πῶς; Χ. εἰ ῥᾳδίως
[αὐτὸς τὰ σαυτοῦ χρήματ᾽ ἀποβαλεῖς τάλαν.]

Corruptum, non lacunosum esse locum Bergkius statuit, cui haec ita scribenda videntur:

Χ. κακοδαίμων ἄρ᾽ εἶς;
Α. νὴ τὸν Δία τὸν σωτῆρ᾽ ἀποίσω. Χ. δαιμονᾷς.

Vs. 806.

πάνυ γ' ἂν οὖν Ἀντισθένης
αὔτ' εἰσενέγκοι· πολὺ γὰρ ἐμμελέστερον
πρότερον χέσαι πλεῖν ἢ τριάκονθ' ἡμέρας.

In his αὐτὰ potest sane ex toto nexu quodammodo quo spectet intelligi; fortasse tamen lenissima sive potius nulla mutatio adhibenda est haec ut αὐτοῖς ἐνέγκοι scribatur, ut est vs. 777. οἴσειν δοκεῖς τιν' ὅστις αὐτῶν νοῦν ἔχει aliisque locis. Ad ἐμμελέστερον subaudiunt αὐτῷ, quod num recte faciant dubitare licet, ac fortasse ἐμμελέστερος scribendum est, quod recte coniungitur cum infinitivo.

Vs. 831.

ἃς ἐγὼ φυλάξομαι
νὴ τὸν Ποσειδῶ μὴ κατουρήσωσί μου.

Rav. κατουρήσουσι, unde conieci νὴ τὸν Ποσειδῶ; οὐ μὴ κατουρήσουσί μου. At futurum huius verbi esse οὐρήσομαι affirmat Elmsleius ad Sophoclis Oed. Col. p. 108. confisus loco depravato in Pac. 1266. ubi ὀρχησόμενα scribendum esse ostendi, neque aliud futuri exemplum exstat, nisi quod Cobetus Vesp. 394. pro οὐρήσω μηδ' ἀποπάρδω, quod aoristi coniunctivum esse Elmsleius intellexit, οὐρήσομαι οὐδ' ἀποπάρδω scribi voluit. Itaque ut nunc res est, in neutram partem aliquid certi decerni potest. Non impedio tamen quominus in eo quem supra adscripsi loco μὴ κατουρήσωσί μου vel contra Rav. fidem retineatur.

Vs. 840.

κλῖναί τε σισυρῶν καὶ δαπίδων νενασμέναι.

Kustero νενασμέναι suspectum est quia κλῖναι non recte dicantur *tapetibus refertae*, sed δαπίσιν ἐστρωμέναι, quomodo forte scripsisse poetam suspicatur. Bothius de κεκασμέναι restituendo cogitabat, quo non multum lucramur, neque id recte cum genetivo coniungitur. Corruptum esse νενασμέναι non dubito natumque videtur ex ἐπινενασμέναι, quod olim legebatur v. 838. Fortasse σε-

σαγμέναι scribendum, quod aptissimum h. l. est recteque cum genetivo iungitur.

Vs. 890.

τούτῳ διαλέγου κἀποχώρησον· σὺ δέ —

Si quis quaerat qui sit ille quocum iuvenculam vetula colloqui iubeat, nullum reperiet. Quare dubitari non potest quin *τούτῳ* corruptum sit: ad sententiam non ineptum esset *σαυτῇ*, quod coniecit Halbertsma; sed apertum est aliud quid latere, et quidem, ut mihi videtur, locutio proverbialis. Itaque conieci:

τύμβῳ διαλέγου κἀποχώρησον.

Nihil frequentius apud poetas comicos quam senes capulares et decrepitos appellari *τύμβους*, *τύφους*, *τυφογέροντας* (Nub. 909. Lysistr. 395.), ut etiam *τύφῳ διαλέγου* conici possit.

Vs. 901. scribendum videtur *τὸ τρυφερὸν γὰρ ἐπιπέφυκε*, quibus ad amussim respondeant numeri vs. 907. *τό τ' ἐπίκλιντρον ἀποβάλοιο.*

Vs. 909.

κἀπὶ τῆς κλίνης ὄφιν εὕροις
καὶ προσελκύσαιο.

Non respondent haec versibus strophicis, quare non dubium quin compluscula hic exciderint. Metrum requiritur hoc:

´ ⏑ – – ´ ⏑ – | ´ ⏑ – –
´⏑⏑ ⏑ – – ´ ⏑ – –

Recte Bergkius *ὄφιν ψυχρὸν* scripsisse videtur. Supersunt vestigia exactissimae responsionis, ut ostendunt praeter alia verba *κἀπὶ τῆς κλίνης*, quibus opposita sunt haec *κἀπὶ τοῖς μήλοις*.

Vs. 974.

μέλιττα Μούσης, Χαρίτων θρέμμα, Τρυφῆς πρόσωπον.

Nescio quo sensu puella *Musae apicula* dicatur, ac fuit qui *μείλιγμα* reponi vellet. Videtur tamen *μέλιττα* defendi posse, ut sit *dulcicula*, Süsschen, quemadmodum in Ranis 991. appellantur *μελιττίδαι*, Zuckersöhnchen.

Vs. 1037.

ποῖ τοῦτον ἕλκεις σύ; Γ. τὸν ἐμαυτῆς εἰσάγω.

Rav. et *Γ.* *ἕλκεις, τὸν ἐμαυτῆς*. Codices interpolati post *ἕλκεις* addunt *σύ*. Dobraeus tentavit *ποῖ τοῦτον ἐξέλκεις; τὸν ἐμαυτῆς εἰσάγω*. In quo neque *ἐξέλκεις* placere potest, neque *τὸν ἐμαυτῆς* satis respondet sententiae; non enim quem abductura sit ex vetula quaesitum erat, sed quo eum abducat. Eodem vitio ceterorum coniecturae laborant, Cobeti *ποῖ τοῦτον ἕλκεις σύ; τὸν ἐμαυτῆς ἄνδρ' ἄγω*, Bergkii *ποῖ τοῦτον ἕλκεις ἄνδρα; τὸν ἐμαυτῆς ἄγω*. Praetuli his quod reliquis expeditius videbatur:

ποῖ τοῦτον ἕλκεις; Γ. εἰς ἐμαυτῆς εἰσάγω.

Nimirum extrita quae post *ἕλκεις* prono errore exciderat praepositione *εἰς*, supervenit, qui genetivo offensus simul ut metro satis faceret, adderet *τόν*.

Vs. 1091.

πῶς οὖν δικωπεῖν ἀμφοτέρας δυνήσομαι;

Nihil video quo *ἀμφοτέρας* defendi possit, quo si uti volebat poeta, pro *δικωπεῖν* potius *κωπηλατεῖν* vel *ἐλαύνειν* vel simile quid dicere debebat. Itaque suspicor genuinum vocabulum extritum esse, Aristophanem autem scripsisse:

πῶς οὖν δικωπεῖν ἀντιβολῶ δυνήσομαι;

Vs. 1105.

ὅμως δ' ἐάν τι πολλὰ πολλάκις πάθω
θάψαι μ' ἐπ' αὐτῷ τῷ στόματι τῆς εἰσβολῆς.

Non habeo quo referam *ὅμως*. Et quos tandem compellari dicamus ab infelici puero et precibus adiri, ut se sepeliant? Intellexit vitium loci Bergkius, iusto audacius tamen *αἰτῶ* pro *ὅμως* scribens. Reponendum putavi:

ὑμᾶς δ' ἐάν τι πολλὰ πολλάκις πάθω —

Nimirum ad spectatores conversus haec dicit, ut passim comici fecerunt.

Vs. 1123.

κέρασον ἄκρατον, εὐφρανεῖ τὴν νύχθ' ὅλην,
ἐκλεγόμενος ὅ τι ἂν μάλιστ' ὀσμὴν ἔχῃ.

Haec quocunque te vertas perinepte ceteris interposita sunt; quod quam vere dictum sit, ostendunt interpretes mirifice se torquentes et nihil extricantes. Non dubitavi eicere importunum emblema. Noli tamen putare grammatici nescio cuius ingenio hos versus deberi, sunt enim elegantissimi, ipsius fortasse Aristophanis, certe poetae comici, a grammatico aliquo in margine adscripti, ut de vini odore quae Aristophanes dixit novo exemplo illustraret.

Vs. 1150.

ἔχω δέ τοι καὶ δᾷδα ταυτηνὶ καλῶς.

Scribendum videtur *γέ τοι*, quarum particularum coniunctio hic aptior est; tum *καλῶς* fortasse choro tribuendum est *bene! quid igitur moras nectis?* Paucis versibus ante quod edidi *ἐστὶν ἐσκευασμένον*, pro *ἐστ' ἐπεσκευασμένον*, feci praeeunte Cobeto; recte sane, siquidem *ἐπισκευάζειν* est *restaurare*, non *instruere*. Editum tamen legit Phrynichus Bekkeri p. 39, 24. *ἐπεσκεύασται τὸ δεῖπνον· χρῶ.* Nisi is alium locum respexit.

Vs. 1154. 1166.

σμικρὸν δ' ὑποθέσθαι τοῖς κριταῖσι βούλομαι.

Ut in toto exitu fabulae, praesertim inde a vs. 1165. multa neque integre nec plene tradita sunt, ita etiam hic versus habet in quo offendas; requiri videtur trochaicus tetrameter et aegre careo voce *πρῶτον*. Fortasse olim scriptum fuit:

σμικρὸν ὑποθέσθαι δὲ πρῶτον τοῖς κριταῖσι βούλομαι.

Idem metrum requiro etiam 1166. sq. quare post *τάσδε νῦν* lacunam indicavi, praesertim cum etiam sententia aliquid excidisse doceat. Hoc enim dicere videtur: *etiam hasce cruribus rhythmi legem sequi decet. τάσδε* cum dicit chorus, intelligit opinor *τὰς μείρακας* vs. 1138. 1151.

Vs. 1168 sqq.

ταχὺ γὰρ ἔπεισι λοπαδοτεμαχοσσελαχο —

Ita haec in Rav. scripta sunt; cum mihi patinae nomen necessarium videatur, fortasse *λοπάδιον* scribendum et monstrosum cibi nomen a *τεμαχοσελαχο* ordiendum est. Nomen hoc ita distinxi, ut vs. 1169. 1171. ex trochaicis, ceteri autem versus ex dactylicis numeris constent. Vs. 1172. reliqui corruptum *οπτεκεφαλλιο*, pro quo Rav. habet *οπτεγκεφαλλιο*, a Dindorfio in *οπτεγκεφαλο* mutatum. Aliud latere metrum ostendit, cui satisfaceret *οπτοκεφαλλιο*, ut *κεφάλλιον* ad *κέφαλος*, quod piscis nomen est, referendum sit et deminutivo poeta propter metrum usus esse statuatur. De duplicato *λλ* in voce *κεφαλὴ* aliunde constat.

Vs. 1174.

ταῦτ᾽ ἀκροασάμενος ταχὺ καὶ ταχέως λάβε τρύβλιον.

In his verba *ταχὺ καὶ* Dindorfius aliique deleverunt; non credo id recte factum esse. Scribendum potius *ταχέως ταχέως*, quemadmodum Pluto 644. habes *ταχέως ταχέως φέρ᾽ οἶνον ὦ δέσποινα.* Error ex perpetua illa vocularum *ὡς* et *καὶ* permutatione natus est.

P L U T U S.

Vs. 49.

δῆλον ὁτιὴ καὶ τυφλῷ
γνῶναι δοκεῖ τοῦθ' ὡς σφόδρ' ἐστὶ συμφέρον.

Nunquam Aristophanes *συμφέρον ἐστὶ* dixit pro *συμφέρει*, qua re scripsi *σύμφορον*. Priora nondum extitit qui emendaret; quin corrupta sint quis dubitet? Quod enim Boissonadus verborum hunc esse ordinem dicit, *ὁτιὴ τοῦτο δοκεῖ δῆλον καὶ τυφλῷ γνῶναι*, quis unquam atticae dicendi elegantiae adsuetus talem orationis scabritiem aequo animo ferat? Ubicunque in graeco sermone *δῆλον ὅτι* coniunguntur, alterum ab altero divelli non potest; quam ob causam dubitari non potest quin locus graviter corruptus sit, cui quo pacto medendum sit, incertus haereo. Constructioni satisfactum esset, si pro *γνῶναι* legeretur *γνωστόν*; at cum omnium usu trita sit formula *καὶ τυφλῷ δῆλον*, etiam Aristophanes scribere debuit:

δῆλον ὁτιὴ καὶ τυφλῷ
δῆλον δοκεῖ τοῦθ' ὡς —

in qua orationis forma inest vernilitas quaedam, Carionis scurrili ingenio non indigna, *apertum est etiam caeco hoc apertum videri*. Vitium ab iis profectum est, qui iterato *δῆλον* offensi orationem ita sibi emendare viderentur, ut alteri *γνῶναι* substituerent. Fortasse tamen lenissima coniectura scribendum est *δῆλον ὁτιὴ καὶ τυφλὸς γνῶναι δοκεῖ τοῦθ'*, *nimirum vel caecus intelligere sibi videtur hoc esse valde conducibile.*

Vs. 106.

μὰ τὸν Δί', οὐ γάρ ἐστιν ἄλλος πλὴν ἐγώ.

Ven. *πλὴν ἐμοῦ.* Fateor me hunc versum non intelligere; quo iure enim ex praecedentibus, *ἄνδρα τοὺς τρόπους βελτίονα,* ad *ἄλλος* subaudiri possit *τοὺς τρόπους ἀγαθὸς* non perspicio; repugnat etiam vs. 110. Sin hoc dici statuis *non est alius melior,* abundat *πλὴν ἐγώ.* Quare totum versum delendum puto.

Vs. 119.

ὁ Ζεὺς μὲν οὖν οἶδ' ὡς τὰ τούτων μῶρ' ἔμ' εἰ
πύθοιτ' ἂν ἐπιτρίψειε.

Ita haec correxisse sibi videntur viri docti ex marg. A. cum codices non *οἶδ' ὡς* habeant sed *εἰδώς.* Est haec minime felix emendatio, qua durissima verborum traiectio orationi obtruditur. Scribendum videtur:

ὁ Ζεὺς μὲν οὖν ἰδὼν τὰ τούτων μῶρ' ἔμ' εἰ
πύθοιτ' ἂν ἐπιτρίψειε.

i. e. *Iupiter opulentorum stultitiam cernens, de me si resciseeret* (si me oculorum lumen recuperasse resciseeret), *interitum mihi pararet: ἐμὲ* et a *πύθοιτο* et ab *ἐπιτρίψειε* suspensum est. De particula *ἂν* sic posita v. ad Acharn. 313.

Vs. 205.

ἐσδὺς γάρ ποτε
οὐκ εἶχεν ἐς τὴν οἰκίαν οὐδὲν λαβεῖν.

En iterum verborum traiectionem satis memorabilem, sed quam incertam facit Ven. scriptura *λαμβάνειν,* cui si quid tribuendum est, conicere possis *εἰς οἰκίαν οὐκ εἶχεν οὐδὲν λαμβάνειν.* Ac nescio an articulus melius abesset, nisi forte *ἔς τιν' οἰκίαν* scribendum. Verborum traiectione usus est Aristophanes etiam vs. 911. *οὐ γὰρ προσήκει τὴν ἐμαυτοῦ μοι πόλιν εὐεργετεῖν,* ut alia omittam. Post vs. 207. excidisse aliquid in hanc sententiam dictum, *ἀλλ' οὐ βλέπω γάρ, ὥστε τῶν ἐμῶν κρατεῖν,* vere opinor intellexit Adolphus de Velsen.

Vs. 245.

μετρίου γὰρ ἀνδρὸς οὐκ ἐπέτυχες πώποτε.

Ven. om. οὐκ et οὐδεπώποτε habet pro πώποτε, unde conicias deleto ἀνδρός scribendum esse:

μετρίου γὰρ οὐκ ἐπέτυχες οὐδεπώποτε.

At cum duo codd. ἔτυχες habeant, praestat forsan μετρίου γὰρ ἀνδρὸς οὐκ ἔτυχες οὐπώποτε, vel ut Bergkius voluit, μετρίου γὰρ ἀνδρὸς ἔτυχες οὐδεπώποτε.

Vs. 255.

ἴτ' ἐγκονεῖτε σπεύδεθ', ὡς ὁ καιρὸς οὐχὶ μέλλειν,
ἀλλ' ἔστ' ἐπ' αὐτῆς τῆς ἀκμῆς, ᾗ δεῖ παρόντ' ἀμύνειν.

Incertam facit lectionem librorum dissensus, quorum Rav. habet ὡς καιρὸς οὐχὶ μέλλειν, Ven. οὐ γὰρ καιρὸς οὐχὶ μέλλειν, quod probum est si pro οὐχὶ scribas ἐστί. Hoc certum est, in recepta lectione ferri non posse articulum; potest autem, si pro μέλλειν reponas μέλλει, quo pacto etiam sequens ἔστ' habet unde suspensum sit. Incertus haereo de Thesmoph. 661. μὴ βραδύνειν, ὡς ὁ καιρός ἐστι μὴ μέλλειν ἔτι.

Vs. 257 sqq.

οὔκουν ὁρᾷς ὁρμωμένους ἡμᾶς πάλαι προθύμως,
ὡς εἰκός ἐστιν ἀσθενεῖς γέροντας ἄνδρας ἤδη.

Propter ἤδη ad γέροντας desidero participium verbi substantivi, ac cum cod. A. ἄνδρας omittat, non dubitavi rescribere:

ὡς εἰκός ἐστιν ἀσθενεῖς γέροντας ὄντας ἤδη;

quae ludicra est et comicis poetis admodum usitata compositio. Vesp. 278. τὸ σφυρὸν γέροντος ὄντος. Acharn. 222. μηδέ περ γέροντας ὄντας ἐκφυγεῖν Ἀχαρνέας. Xenarchus Athenaei XIII. p. 569. c. τοὺς μὲν γέροντας ὄντας ἐπικαλούμεναι.*) In sequente versu retinui libro-

---

*) Nihil his simile apud tragicos reperias, ut merito dubites an recte Nauckius in Sophoclis Oed. Tyr. 1114. scribendum esse coniciat ἄλλως τε τοὺς ἄγοντας ὄντας οἰκέτας | ἔγνωκ' ἐμαυτοῦ. Hoc tamen recte vidit ὥσπερ, quod vulgo pro ὄντας legitur, ferri non

rum scripturam πρὶν ταῦτα καὶ φράσαι μοι, ubi Dindorfius adscripsit „id est καὶ ταῦτα πρὶν φράσαι μοι.“ Id ipsum reponi voluit Cobetus. Mihi neque Dindorfii ratio probanda, neque transpositio necessaria videtur. Quid enim impedit, quo minus καὶ h. l. ita dictum statuatur, ut sexcenties dictum est, bevor du auch nur gesagt hast. ταῦτα autem recte sic poni, ut ad sequentia ὅτου χάριν referatur, item constat.

Vs. 281.

οἳ πολλὰ μοχθήσαντες οὐκ οὔσης σχολῆς προθύμως
δεῦρ᾽ ἤλθομεν.

Possunt sane haec sic intelligi, ut licet multos iam labores profligaverint, tamen ne sic quidem sibi otium suppetere dicant agricolae. Fortasse tamen μοχθήσοντες Aristophanes scripserat.

Vs. 367.

ἀλλ᾽ οὐδὲ τὸ βλέμμ᾽ αὐτὸ κατὰ χώραν ἔχει,
ἀλλ᾽ ἐστὶν ἐπίδηλόν τι πεπανουργηκότι.

Haec omnium librorum scriptura est, nisi quod in Rav. πεπανουργευκότι scriptum est. Nihil autem sani verbis inest, in quibus ἐπίδηλον pro ὅμοιον dictum esse statuit scholiasta, quem sequitur L. Dindorfius Thesaur. L. G. III. p. 1571. d. Recte sic mihi locum emendare visus sum: ἀλλ᾽ ἐστὶν ἐπίδηλον ὅτι πεπανούργηκέ τι. Similiter Bergkium correxisse video, ἀλλ᾽ ἔστιν ἐπίδηλον τὶ πεπανούργηχ᾽ ὅτι, sed structura, ut mihi quidem videtur, minus expedita. Quam Rav. offert formam πανουργεύω pro πανουργῶ seriori aetati usitatam, eius exemplum habet etiam Hesychius v. κιναβεύειν. Versu primo pro ἔχει Ven., pro varia lectione habet μένει, quod fortasse praestat.

---

posse, monueratque id iam Bergkius. Fort. scribendum ἄλλως τε τοὺς ἄγοντας οἰκέτας ἐγὼ | ἔγνωκ᾽ ἐμαυτοῦ; in quibus quum ἐγὼ ante ἔγνωκα excidisset, extitit qui versus complendi causa ὥσπερ adderet.

Vs. 422.

σὺ δ' εἶ τίς; ὠχρὰ μὲν γὰρ εἶναί μοι δοκεῖς.

Nihil de his omnibus mihi Aristophanes scripsisse videtur praeter *σὺ δ' εἶ τίς;* cetera, quae frustra viri docti vel explicare vel emendare conati sunt (Velsenus *ὠχρὰ μαινὰς εἶναι*) stulti interpolatoris manus adiecit, qui integrum trimetrum requireret, quo non opus esse docere potest Acharn. 407. Nub. 235. Ran. 664. Cfr. ad Lysist. 169. et Teuffelius ad Nub. 1233.

Vs. 498.

καί τοι τούτου τοῖς ἀνθρώποις τίς ἂν ἐξεύροι ποτ' ἄμεινον;
οὐδεὶς ἄν· ἐγὼ τούτου μάρτυς.

Ita Dindorfius haec edidit e cod. Dorv. nec quidquam in his vituperandum esset, nisi optimi libri RV. et Mutin. praeberent *οὐδείς· ἐγώ σοι τούτου μάρτυς*, cuius loco quod ceteri habent, *οὔτις ἐγώ σοι*, non minus interpolationi simile est, quam Dorv. illud. Scribendum *οὐδέν· ἐγώ σοι τούτου μάρτυς*, cui scripturae ut sua ratio constet, in praecedente versu pro *τίς* ponendum *τὶς*, *possitne aliquis meliora invenire?* cui iam recte infertur *οὐδέν*, quod restituendum esse intellexit etiam Cobetus ad Hyperidis or. fun. p. 38., sed ut cetera audacius hunc in modum mutaret *τί ἂν ἐξεύροι τις ἄμεινον;*

Vs. 505.

οὐκοῦν εἶναί φημ', εἰ παύσαι ταύτην βλέψας ποθ' ὁ Πλοῦτος,
ὁδὸν ἥντιν' ἰὼν τοῖς ἀνθρώποις ἀγάθ' ἂν μείζω πορίσειεν.

Rav. *παῦσαι ταύτην βλέψας*, Ven. *παύσει ταῦτ' ἂν βλέψῃ*, alii *παύσαι* vel *παύσει ταῦτ' ἢν βλέψῃ*, Bergkius *παύσαι ταῦτ' ἀμβλέψας*, qua forma semel Eupolis Fragm. Com. II. p. 464. Aristophanes vix unquam usus est. Optativus *παύσαι* in Pluto fabula ferri potest; at cum *παύσει* a librorum scriptura satis munitum sit, hoc ipsum

reposui. Pro *ταύτην* fortasse *ταυτὶ* scribendum; *βλέψαι* autem plus semel dixit Aristophanes de Pluto, ubi etiam *ἀναβλέψαι* dici potuit.

Vs. 534.

διὰ τὴν χρείαν καὶ τὴν πενίαν ζητεῖν ὁπόθεν βίον ἕξει.

Dubito num recte hic *πενία* commemoretur, quam ipsa Paupertas in toto hoc sermone impense commendat et *τῇ πτωχείᾳ* opponit. v. inprimis vs. 552 sqq. Quare nescio an *πεῖναν* poeta scripserit.

Vs. 578.

οὕτω διαγιγνώσκειν χαλεπὸν πρᾶγμ' ἐστὶ δίκαιον.

Merito articulum ad *δίκαιον* desiderabat Dobraeus, cui assentiens Dindorfius coniecit *οὕτω διαγιγνώσκειν ἐστὶν χαλεπὸν τὸ δίκαιον*, Bergkius autem *οὕτω διαγιγνώσκειν χαλεπὸν πάντως τὸ δίκαιον*. Possunt etiam alia conici e. c. *οὕτω διαγιγνώσκειν ἆρ' ἦν χαλεπὸν τὸ δίκαιον*. At nihil impedit quo minus *πρᾶγμα* cum *δίκαιον* coniungatur, *difficile est iustam causam dignoscere.*

Vs. 645.

φιλεῖς δὲ δρῶσ' αὐτὸ σφόδρα.

Verbi *φιλεῖν* cum participio coniuncti nullum, quod sciam, exemplum est; de Vesp. 1535. *εἴ τι φιλεῖτ' ὀρχούμενοι* suo loco dictum est. Forsan igitur *δρᾶσ'* i. e. *δρᾶσαι* scribendum. Sed retinet me Eccles. 502. ubi consimilem structuram habes *μίσει σάκον πρὸς τοῖν γναθοῖν ἔχουσα.*

Vs. 688.

τὸ γρᾴδιον δ' ὡς ᾐσθάνετό μου τὸν ψόφον,
ἄρασ' ὑφῄρει.

Quod vulgo legitur *τὴν χεῖρ' ὑφῄρει* non nauci est, neque quod Bergkius posuit *τὴν χεῖρ' ὑπερῇρε* probaverim; probum esset *τὴν χεῖρ' ὑπερέσχε*, sed id nimium recedit a codicum scriptura. Recepi igitur Dobraei emendationem

ἄρασ' ὑφῄρει, sublata manu ollam subtractura erat. Ac legit ita scholiasta, ἐκτείνει τὴν χεῖρα κατὰ τῆς χύτρας ἵνα μηδεὶς αὐτὴν λάβοι. ἢ ἐξέτεινε· καὶ Μένανδρος ἐξάραντες ἐπικροτήσατε.

Vs. 695.

ἔπειτ' ἐπειδὴ μεστὸς ἦν, ἀνεπαυόμην.

Mira varietate optimi codices Rav. et Ven. ἀνεπαλλόμην, at Ven. praeterea γρ. ἀνεπαυόμην. Recepit ἀνεπαλλόμην Bergkius; atqui Cario, qui vs. 638. surrexerat, nunc cibo repletus rursus requievit. Paucis versibus interiectis recte Bergkius ὑπερηρυθρίασε scripsit pro ὑπηρυθρίασε. Rav. ὑπερυθρίασε.

Vs. 704.

ΓΥ. αὐτὸς δ' ἐκεῖνος; ΚΑΡ. οὐ μὰ Δί' οὐδ' ἐφρόντισεν.

Bene vidit Adolphus de Velsen haec sic distinguenda esse αὐτὸς δ' ἐκεῖνος οὔ; ΚΑΡ. μὰ Δί' οὐδ' ἐφρόντισεν.

Vs. 723.

ὃ δὲ κεκραγὼς καὶ βοῶν
ἔφευγ' ἀνᾴξας· ὁ δὲ θεὸς γελάσας ἔφη —

Risum dei ab hoc loco alienum puto, ubi aliquid commemoratum expectabam, quo Neoclides a fuga retractus fuerit. Quare suspicor poetam scripsisse ὁ δὲ θεός γ' ἐλάσας ἔφη. Percussit hominem baculo, quod gestare solebat Aesculapius, ut eum a fuga revocaret.

Vs. 727.

μετὰ τοῦτο τῷ Πλούτωνι παρεκαθέζετο.

Non credibile est Plutonem hoc uno loco appellatum esse, quem constanter poeta per totam fabulam Plutum appellat. Id qui ioco lusuque factum esse narrat scholiasta, qua in re iocus ille lususque cernatur non dixit. Non dubitandum videtur quin locus aliquid vitii traxerit, neque improbabile est scripsisse poetam Πλούτῳ 'τι παρεκαθέζετο, i. e. Πλούτῳ ἔτι, *post reliquos etiam Pluto assidebat.*

Vs. 732.

εἶθ' ὁ θεὸς ἐπόππυσεν.
ἐξηξάτην οὖν δύο δράκοντ' ἐκ τοῦ νεώ.

Fuit, si recte memini, qui *κἀξηξάτην σύνδυο δράκοντ'* corrigeret; non credo hoc opus esse, sed si quid offensionis habet edita scriptura, sufficere opinor *ἐξηξάτην δ' οὖν*, quarum particularum coniunctio hic aptissima est; *σύνδυο* qui dixerit comicorum novi nullum.

Vs. 756.

ὀφρῦς ξυνῆγον ἐσκυθρώπαζόν θ' ἅμα.

Post haec unius versus lacunam indicandam esse suspicor, quo qui tetricum vultum prae se ferebant, paulatim a Pluti comitatu recessisse dicti erant, *ὀφρῦς ξυνῆγον ἐσκυθρώπαζόν θ', ἅμα [σῖγ' εἰς ἑαυτῶν ὑπαποκινοῦντες θαμά]*. Sententiam, non verba indicavi. Ita etiam *ἅμα* recte dictum est, quod nisi ad aliqua quae exciderunt refertur satis abundanter adiectum videri potest.

Vs. 768.

φέρε νυν ἰοῦσ' εἴσω κομίσω καταχύσματα.

Nescio an poeta *εἴσω 'κκομίσω* scripserit, ut Vesp. 819. *θήρῳον οὔπω 'ξεκόμισας τὸ τοῦ Λύκου.* In sequentibus mihi ante vs. 771. complures versus una cum chorico cantu videntur excidisse; neque enim credibile est, Plutum orationem suam a verbis *καὶ προσκυνῶ γε* exorsum esse.

Vs. 813.

τοὺς δὲ πινακίσκους τοὺς σαπροὺς
τοὺς ἰχθυηροὺς ἀργυροῦς πάρεσθ' ὁρᾶν.

Nescio qui sint *πινακίσκοι σαπροί*, quod vocabulum cum ad *σήπειν* revocandum sit, ipsae lances *σαπραὶ* vocari vix possunt. Quare *σαθροὺς* scribendum suspicor, fatiscentes et laceros, quibus bene opponuntur *πινακίσκοι ἀργυροῖ*. De frequenti adiectivorum *σαπρὸς* et *σαθρὸς* permutatione dixit Cobetus V. L. p. 229.

Vs. 823.

ἕπου μετ' ἐμοῦ παιδάριον, ἵνα πρὸς τὸν θεὸν ἴωμεν.

Post ἕπου Rav. addit δέ, quod probat Bergkius deleta coniunctione ἵνα. Sed ne sic quidem Rav. scriptura probari potest, nisi versum excidisse statuas.

Vs. 826.

δῆλον ὅτι τῶν χρηστῶν τις, ὡς ἔοικας, εἶ.

Δῆλον ὅτι et ὡς ἔοικας adversis frontibus sibi repugnant, quam ob causam post δῆλον ὅτι plene interpungendum est.

Vs. 838.

Κ. καὶ κατεγέλων, εὖ οἶδ' ὅτι. Δ. κομιδῇ μὲν οὖν·
αὐχμὸς γὰρ ὢν τῶν σκευαρίων μ' ἀπώλεσεν.
ἀλλ' οὐχὶ νῦν.

Nemo monitus dubitabit quin secundus versus multo rectius Carioni quam Iusto tribuatur. Hoc igitur secutus sum; simul pro μ' scribendum erat σ'. Quod Fritzschius ad Thesmoph. p. 247. coniecit αὐχμὸς γὰρ ὄντως σκευαρίων probari non potest. Cfr. ad Aves 724.

Vs. 842.

τὸ τριβώνιον δὲ τί δύναται πρὸς τῶν θεῶν,
ὃ φέρει μετὰ σοῦ τὸ παιδάριον τουτί; φράσον.

Quid moverit Hemsterhusium et qui hunc secuti sunt, ut πρὸς τὸν θεὸν scribendum putarent, prorsus non intelligitur. Iustiorem offendendi causam alter versus mihi praebere videtur, in quo recte omnia haberent, si ad μετὰ σοῦ additum esset participium ἰὸν vel ἀκολουθοῦν vel simile quid. At quod nunc legitur non video quid aliud significare possit quam *quod tecum fert servulus*, quod sensu cassum est. Scribendum ὃ φέρει τὸ μετὰ σοῦ παιδάριον τουτί. Cfr. Eccles. 1138. τασδὶ μετὰ σοῦ τὰς μείρακας.

Vs. 845.

μῶν ἐνεμυήθης δῆτ' ἐν αὐτῷ τὰ μεγάλα;

Ita ex Rav. critici scripserunt, cum ceteri codices *μῶν οὖν ἐμυήθης* habeant praeter Ven. qui *οὖν* omittit. Vereor ne viros doctissimos comparatio cum nostro einweihen in errorem induxerit. Graecum est *μυεῖσθαι τὰ μυστήρια*, non *ἐμμυεῖσθαι*.

Vs. 857.

οὐ γὰρ σχέτλια πέπονθα νυνὶ πράγματα,
ἀπολωλεκὼς ἅπαντα τἀκ τῆς οἰκίας;

Fieri potest ut fallar, non memini tamen me unquam legere *σχέτλια πράγματα πεπονθέναι*, ut nec *δεινὰ πάσχειν πράγματα* dicitur pro simplici *δεινὰ πάσχειν*. Haec si vera sunt, memor frequentissimi erroris, quo *πρᾶγμα* ex *χρῆμα* nascitur, hic quoque *χρήματα* scribendum esse suspicor: *οὐ γὰρ σχέτλια πέπονθα νυνί, χρήματα ἀπολωλεκὼς ἅπαντα τἀκ τῆς οἰκίας;* Cfr. vs. 871. *κοὐκ ἔσθ' ὅπως οὐκ ἔχετέ μου τὰ χρήματα*, ubi contrario errore Ven. pro varia lectione *πράγματα* habet.

Vs. 891.

ὡς δὴ 'π' ἀληθείᾳ σὺ μετὰ τοῦ μάρτυρος
διαρραγείης μηδενός γ' ἐμπλήμενος.

Sensum loci, cui Hemsterhusius inveteratum ulcus inhaerere statuit, hunc esse puto *utinam haec vera sint tuque prae inedia disrumparis*. Ad *ἐπ' ἀληθείᾳ*, proprie *ea lege ut vera sint quae tu loqueris*, supplendum *τῶν σοι λελεγμένων*, eadem dicendi brevitate, qua v. 910. legitur *εἴ σοι προσῆκον μηδέν*, *cum nihil eorum quae tu satagis ad te attineat*. Similiter *ἐπ' ἀληθείᾳ* dictum est ab Aeschylo Suppl. 628. *Ζεὺς ἐφορεύοι ξένιος ξενίου στόματος τιμὰς ἐπ' ἀληθείᾳ*, *ita ut vera sint quae praedicamus*. Aliter apud Theocritum VII, 44. *πᾶν ἐπ' ἀλαθείᾳ τι (τὺ) κεκασμένον ἐκ Διὸς ἔρνος*, ubi *ἐπὶ* cum *κεκασμένον* coniungendum esse ostendi. Hemsterhusius tamen persuasit van Gent Annot. ad Virgil. p. 80. vix plausibili coniectura

ludenti *οὐ δῆτα. πληθώρᾳ σὺ μετὰ τοῦ μάρτυρος*, in quo duplex ioci genus, *ἀμφιβολογίαν* (?) et *ἀντιλογίαν*, inesse affirmat.

Vs. 897.

ἐπεὶ τοιοῦτόν γ' ἀμπέχεται τριβώνιον.

Ita ex A. et Rav. editum est, ceteri libri *τοιοῦτον* i. e. *τοιοῦτό γ'*. Altera forma *τοιοῦτον* non utuntur veteres Attici nisi hiatus vitandi causa. In Nub. 832. *σὺ δ' ἐς τοσοῦτον τῶν μανιῶν ἐλήλυθας* scribendum *τοσοῦτο*. Ceterum nisi dormitasse poetam volumus, difficile est contradicere Adolpho de Velsen (Symbol. Philol. Bonn. vol. I. p. 418.) futurum requirenti *ἐπεί γε τοῦτ' ἀμφέξεται*. Praestare opinor *ἐπεὶ τοιοῦτό γ' ἀμφιεῖ τριβώνιον*, ut *ἀμπέχεται* perversa sit futuri *ἀμφιεῖ* interpretatio.

Vs. 904.

ΔΙΚ. ἀλλ' ἔμπορος; Σ. ναί, σκήπτομαί γ' ὅταν τύχω.

Verba *ὅταν τύχω* grammatice intelligi non possunt. Recte, quamvis dubitanter et nullo editorum sequente, Hemsterhusius coniecit *ὅταν τύχῃ*, *si res ita tulerit*, legitque hoc ipsum scholiasta: *ὅταν γένηται καιρὸς πολέμου.*

Vs. 916.

οὐκοῦν δικαστὰς ἐξεπίτηδες ἡ πόλις
ἄρχειν καθίστησιν;

Non est haec constructio Atticis familiaris *καθίστημι δικαστὰς ἄρχειν*. Scribendum suspicor *ἀρχήν*, ut legisse videri potest scholiasta. Cfr. Thucyd. I. 96. *ἑλληνοταμίαι τότε πρῶτον κατέστη ἀρχή*, quae vereor ut recte sollicitaverit Cobetus ad Hyperidis orat. funebrem p. 63. qui deleto *ἀρχή* pro *κατέστη* reponit *κατέστησαν*. Adde Xenophontem Vectig. II, 7. *εἰ μετοικοφύλακας ἀρχὴν καθισταῖμεν.*

Vs. 942.

καὶ ταῦτα πρὸς τὸ μέτωπον αὐτίκα δὴ μάλα.

Constanter Aristophanes *αὐτίκα μάλα* coniungit nulla interposita particula. V. Eq. 284. 475. Pac. 367. Lys.

744. Plut. 432. Ran. 785. Thesmoph. 750. Nec versus bene tornatus est. Quare corrigendum videtur *πρὸς τὰ μέτωπα δῆτ' αὐτίκα μάλα*, in quibus *τὰ μέτωπα* dictum est ut *τὰ πρόσωπα* Lysistr. 810. Equ. 643.

Vs. 976.

πενιχρὸν μέν, ἄλλως δ' εὐπρόσωπον καὶ καλὸν
καὶ χρηστόν.

Vix dicas quid magnopere differant inter se *εὐπρόσωπον καὶ καλόν*, neque male opinor conicias poetam scripsisse *χἀπαλόν*, quod cum *εὐπρόσωπος* coniunxit etiam Eccles. 191. *εὐπρόσωπος — ἁπαλὸς εὐπρεπὴς ἰδεῖν.*

Vs. 993.

ἀλλ' οὐχὶ νυνί γ' ὁ βδελυρὸς τὸν νοῦν ἔχει
τὸν αὐτόν, ἀλλὰ πολὺ μεθέστηκεν πάνυ.

Elmsleius *ἀλλ' οὐχὶ νῦν ἔθ' ὁ βδελυρός*, praeeunte Brunckio qui edidit *ἀλλ' οὐχὶ νῦν γ' ὁ βδελυρὸς ἔτι τὸν νοῦν ἔχει.* Hoc omisso *γ'* recepit Bergkius. Rav. *ἀλλ' οὐχὶ τοίνυν ὁ*, unde feci *ἀλλ' οὐχί τοι νῦν ὁ βδελυρός*, nam *ἔτι* cur interponatur nihil causae est. In altero versu offensionem habet *πολὺ μεθέστηκεν πάνυ*, pro quo aptius esset:

τὸν αὐτόν, ἀλλὰ πολὺ μεθέστηκεν, πολύ.

Bergkio pro *πάνυ* scribendum videbatur *τρόπον*, quod sine articulo dici vix potest.

Vs. 1003.

δῆλον ὅτι τοὺς τρόπους τις οὐ μοχθηρὸς ἦν,
ἔπειτα πλουτῶν οὐκέθ' ἥδεται φακῇ.
πρὸ τοῦ δ' ὑπὸ τῆς πενίας ἅπαντ' ἂν ἤσθιεν.

Potest fortasse *ἔπειτα* defendi; vitium tamen subesse etiam Bergkius animadvertit, qui *ἐπίμεστα πλουτῶν* coniecit. Ego scripsi

ἐπεὶ ζαπλουτῶν οὐκέθ' ἥδεται φακῇ.

Verbi *ζαπλουτεῖν* praeterea nullum apud Aristophanem exemplum est; ad sententiam tamen est aptissimum et

propter mutationis facilitatem maxime commendabile. Ac fortasse ex hoc ipso loco sumsit qui non raro Aristophaneum dicendi genus expressit Chrysost. in 1 Epist. c. 15. *τῶν ζαπλουτούντων τις στυγνὸς ἦν*, cuius loci indicium debeo editoribus Stephani. Quod versu tertio vulgo legitur *ἅπαντα κατήσθιεν* nihil habet quo commendetur. Rav. *ἅπανθ' ὑπήσθιεν* habet, Ven. *ἅπαντά γ' ἤσθιεν*. Quod Athenaeus IV. p. 170. d. disertim ex hoc loco affert *ἅπαντ' ἐπήσθιεν*, ferri non potest.

Vs. 1011.

νηττάριον ἂν καὶ βάτιον ὑπεκορίζετο.

Vix dici potest quantopere huius versus medela criticos exercuerit. *βάτιον* nihili esse primus intellexit Bentleius, qui *φάττιον* coniecit, quod confirmare videbatur codicum quorundam scriptura *βάττιον*, optimis libris in *βάτιον* consentientibus. Sed *φάττιον* ut ad sensum expeditissimum, ita idem ad numeros inhabile, quos frustra Dindorfius aliique defendunt. Id qui intellexit Porsonus tentavit *νηττάριον ὑπεκορίζετ' ἂν καὶ φάττιον*, in quo viri acutissimi prudentiam iure desideres. Alii tentabant *νηττάριον ἂν καὶ φάττιον ἐκορίζετο*, in quo neque ictus in *φάττιον* recte positus est, neque *κορίζεσθαι* pro *ὑποκορίζεσθαι* probari potest; nihil enim tribuo Hesychii glossae *Ἐκορίζετο· ὑπεκορίζετο*, quippe ad Nub. 68. pertinenti. Bergkius restitui voluit *βάβιον*, quod Syros de infante recens nato dixisse auctor est Damascius apud Photium Bibl. p. 341, 11. Credo equidem me poetae id ipsum quod scripserat restituisse:

νηττάριον ἂν καὶ φάβιον ὑπεκορίζετο.

φάβιον columbula nihil differt a *φάττιον*, estque deminutivum nominis *φάψ*, de quo vide Aristotelem apud Athenaeum IX. p. 394. a. Cfr. Lobeck. Paral. p. 111.

Vs. 1013.

μυστηρίοις δὲ τοῖς μεγάλοις ὀχουμένην
ἐπὶ τῆς ἁμάξης ὅτι προσέβλεψέν μέ τις —

Valde discrepat ab his scriptura Ven. *τοῖς μεγάλοισι*

νὴ Δία ἐπὶ τῆς ἁμάξης, quam recepit Bergkius. Dubito an recte; participium mihi necessarium videtur.

Vs. 1042.

ΝΕ. ἀσπάζομαι. *ΧΡ.* τί φησιν; *ΝΕ.* ἀρχαία φίλη.

Recte Rav. σέ φησιν, modo haec Chremylo tribuantur, ut fecit quamvis dubitanter Dobraeus. Praeterea ἀσπάζομαι accusativo carere vix potest. Itaque nescio an ἀρχαίαν φίλην scribendum sit; adulescentis salutationem interrumpit Chremylus.

Vs. 1044.

ΓΡ. τάλαιν' ἐγὼ τῆς ὕβρεος ἧς ὑβρίζομαι.
ΧΡ. ἔοικε διὰ πολλοῦ χρόνου σ' ἑορακέναι.
ΓΡ. ποίου χρόνου, ταλάνταθ', ὃς παρ' ἐμοὶ χθὲς ἦν;

In primo horum versuum nulla offensionis causa esset, nisi optimi codices vehementer ab edita scriptura discreparent. Rav. habet ἔγωγε τῆς ὕβρεως, et ὕβρεως etiam Ven. aliique, tum Ven. pro ὑβρίζομαι praebet αἰσχύνομαι. Scripsi igitur:

τάλαιν' ἔγωγε τῆς ὕβρεως· αἰσχύνομαι.

In quibus αἰσχύνομαι est *pudet me tui.* In tertio versu ποίου χρόνου corruptum videtur. Chremylo, qui dixerat adolescentem a multo inde tempore vetulam non vidisse, responderi vix potuit ποίου χρόνου, quod esset *quodnam tu tempus dicis?* sed aut πόσου, ut Acharn. 83. aut πολλοῦ χρόνου.

Vs. 1053.

ἐὰν γὰρ αὐτὴν εἷς μόνος σπινθὴρ λάβῃ.

Recte fortasse dicitur πῦρ τινὰ λαμβάνειν, non item σπινθήρ, qui idem nostrae linguae usus est, das Feuer fasst mich, sed de scintilla der Funke trifft mich. Quare scribendum videtur:

ἐὰν γὰρ αὐτὴν εἷς μόνος σπινθὴρ βάλῃ.

Cfr. Vesp. 227. πηδῶσι καὶ βάλλουσιν ὥσπερ φέψαλοι. Neque favet editae scripturae Acharn. 923. εἴπερ λάβοιτο τῶν νεῶν τὸ πῦρ ἅπαξ.

Vs. 1061.

πλυνόν με ποιῶν ἐν τοσούτοις ἀνδράσιν.

Non itelligitur qui sint illi *τοσοῦτοι ἄνδρες*, quibus coram se ludibrio haberi anus conqueritur, quum praeter adolescentem, quocum vetula colloquitur, unus in scena adsit Chremylus. Num spectatores dicit?

Vs. 1083.

διεσπλεκωμένη
ὑπὸ μυρίων ἐτῶν τε καὶ τρισχιλίων.

Miror haec intacta reliquisse editores recentissimos, qui *διεσπλεκωμένη* figurato sensu accepisse videntur: longa annorum serie quasi subagitata h. e. debilitata. At dubitari non potest, quin scribendum sit *ἀπό*, sensu simplicissimo et unice huic loco accommodato, *inde a longissimo tempore subagitata.* Ac scripserat ita iam Kusterus. Illud autem recte fecit Dindorfius, quod *ἐτῶν τε καὶ* scripsit pro *ἐτῶν γε καί.* Numeralium per *τε καὶ* coniunctorum exempla v. apud Lobeckium ad Phrynichum p. 410. Versu sequente praestare mihi videtur *ὅμως δ' ἐπειδήπερ τὸν οἶνον ἠξίους | πίνειν, συνεκποτέ' ἐστί σοι καὶ τὴν τρύγα*, ubi vulgo legitur *ἐπειδὴ καὶ τὸν οἶνον.*

Vs. 1089.

ἐλθὼν ἀναθεῖναι τοὺς στεφάνους τούσδ' οὓς ἔχω.

Postrema verba satis ieiuna sunt, ac nescio an poeta scripserit *ὡς ἔχω*, *confestim*, quod frequens est Aristophani dicendi genus, habetque hoc ipsum Rav. Cfr. Equ. 488. *πρῶτον δ' ὡς ἔχω τὰς κοιλίας καὶ τὰς μαχαίρας ἐνθαδὶ καταθήσομαι.*

Vs. 1095.

ὡς εὐτόνως ὦ Ζεῦ βασιλεῦ τὸ γρᾴδιον
ὥσπερ λεπὰς τῷ μειρακίῳ προσίσχεται.

Si recte observavi discrimen inter *εὐτόνως* et *ἐντόνως*, hoc loco *ἐντόνως* potius quam *εὐτόνως* Aristophanem scripsisse putaverim.

Vs. 1098.

ἀλλὰ δῆτα τὸ θύριον
φθεγγόμενον ἄλλως κλαυσιᾷ.

Non intellexerunt haec verba editores, quorum Brunckius vertit *ostiolum sic temere sonitu edito gemit.* Similiter ceteri, qui omnes *κλαυσιᾶν* de ianuae stridore intellexerunt. Sensus est *ianua temere crepitans vapulabit,* de quo admonui ad Fragm. Com. graec. vol. II. p. 742.

Vs. 1103.

ἀλλ' ἐκκάλει τὸν δεσπότην τρέχων ταχύ.

Pro *τρέχων* expectabam aoristum, quo in tali oratione, si recte memini, constanter Aristophanes utitur.

Vs. 1110.

ἡ γλῶττα τῷ κήρυκι τούτων τέμνεται.

Haec plerorumque codd. scriptura est, in Rav. *γίνεται* scriptum est idemque pro varia l. habet V. Hinc *γίγνεται* restituendum esse affirmat Dindorfius, idemque restituit Bergkius. Mihi sententiae loci unice convenire videtur *τέμνεται*, quod ambigue dictum est, sed ut praecidendi vel excidendi significatio praevaleat. In sequente versu *ἀτὰρ διὰ τί δὴ ταῦτ' ἐπιβουλεύει ποιεῖν*, offendit *διὰ τί* ictu in *α* posito. Ac turbatum esse aliquid etiam codices ostendunt, *δὴ* Rav. et Dorv. habent, om. V. et Mutinensis, ceteri *γε* habent. Hinc nescio an scribendum sit *ἀτὰρ τιὴ δὴ ταῦτ' ἐπιβουλεύει ποιεῖν*, ad quae regerit Mercurius *ὁτιὴ δεινότατα πάντων πραγμάτων εἴργασθε*. Aperte *διὰ* glossatoris est. Hesychius *Τίη* (sic)· *διὰ τί, ἵνα τί.*

Vs. 1115.

οὐ ψαιστόν, οὐχ ἱερεῖον, οὐκ ἄλλ' οὐδεέν.

Iniuria viri docti hunc versum spurium esse et ex vs. 138. confictum ideoque delendum existimant. Quis enim credat Mercurium id tantum doluisse, quod nemo nunc mortalium neque thus nec lauream diis sacrificet?

Haec flocci faciebat, at quod nemo iam placentas et ἱερεῖα diis offerebat, id erat quod dolebat.

Vs. 1119.

ἙΡ. ἐγὼ δ' ἀπόλωλα κἀπιτέτριμμαι. ΚΑ. σωφρονεῖς.

Nescio an *σωφρονῶν* scribendum sit, quae usitata Aristophani syntaxis est.

Vs. 1126.

οἴμοι πλακοῦντος τοῦ 'ν τετράδι πεπεμμένου.

In his *πεπεμμένου* sic intelligi video ut at *πέπτω* revocetur. Non credo id recte fieri, neque enim eodem die quo placentae diis consecrabantur, etiam pinsitabantur; nocte praecedente id fieri solebat. Cfr. Menander apud Athen. IV. p. 172. c. *πλάττομεν γὰρ πλάσματα* (leg. *πέμματα*) *τὴν νύκτα τ' ἠγρυπνήκαμεν.* Quare ad *πέμπειν* refero *πεπεμμένου.* Qui statim sequitur versus *ποθεῖς τὸν οὐ παρόντα καὶ μάτην καλεῖς,* dubitari vix potest quin e tragoedia petitus sit. Eum in proverbiis numerant paroemiarum scriptores.

Vs. 1143.

ἔπειτα τοῦτόν γ' αὐτὸς ἂν κατήσθιες.

In superioribus Cario Mercurio, si fraudanti sibi opitulatus esset, mercedis loco obtigisse placentam optime pistam dixerat; ad quae cum ista quae adscripsi respondisset Mercurius, Cario suam ingluviem excusaturus recte id fieri et merito infert, neque enim illum parem plagarum partem accipere secum in flagitio aliquo deprehensum. Ex his intelligi opinor, non hoc dici potuisse a Mercurio totam placentam a Carione devoratam esse, sed maiorem eius partem; ita demum quadrant illa de impari plagarum numero dicta. Quare scribendum opinor:

ἔπειτα τὸ πλέον γ' αὐτὸς ἂν κατήσθιες.

Ita etiam particula *γέ* recte posita est, quae in vulgata scriptura nihil significat.

Vs. 1163.

ποιεῖν ἀγῶνας μουσικοὺς καὶ γυμνικούς.

Hemsterhusius dubitanter coniecit *μουσικῆς*, favente quodammodo cod. Dorv. in quo *μουσικὰς* scriptum est. Pollux enim disertim III, 142. *οἱ δ' Ἀττικοὶ οὐ ῥᾳδίως λέγουσιν ἀγῶνας μουσικοὺς ἀλλὰ μουσικῆς.* Cui praecepto quae opposuerunt Porsonus et Dobraeus exempla, quaeri potest an non ad eandem omnia formam revocanda sint. Thucydidem certe non credo III, 104. scripsisse *ἀγὼν ἐποιεῖτο — μουσικός*, cum continuo legatur in codd. *μουσικῆς ἀγὼν ἦν.* Quem praeterea offert Dobraeus Basilium de leg. graecis p. 96, 26. *ἐν τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶσιν, εἰ δὲ βούλει τῆς μουσικῆς*, in eo fort. scribendum *τοῖς μουσικῆς.* Ceterum nescio an in Aristophanis loco post 1163. complura exciderint, id quod colligi posse videtur ex 1170. ubi Carion Mercurio, *age igitur exta lava in puteo, ut statim te διακονικὸν esse ostendas.* Quid haec ad *ἀγώνιον*? Ac confirmare videntur nostram suspicionem non modo quae vs. 1165. leguntur *ἐξηύρηκεν αὐτῷ βιότιον*, quae nescio quo iure de eo dici possint, qui se gymnicorum et musicorum ludorum praesidem esse professus erat, sed etiam vs. 1168. *οὐκοῦν ἐπὶ τούτοις εἰσίω*, quae ad conditiones referenda sunt, quibus Mercurius se ministrum fore professus erat.

Vs. 1172.

ΧΡ. τί δ' ἔστιν ὦ βέλτιστε; ΙΕΡ. τί γὰρ ἄλλ' ἢ κακῶς;
ἀφ' οὗ γὰρ ὁ Πλοῦτος οὗτος ἤρξατο βλέπειν,
ἀπόλωλ' ὑπὸ λιμοῦ. καταφαγεῖν γὰρ οὐκ ἔχω.

Interpolata haec sunt a metricis. Rav. *ἀφ' οὗ γὰρ ὁ Πλοῦτος ἤρξατο βλέπειν*, V. *ἀφ' οὗ γὰρ βλέπειν ὁ Πλοῦτος ἤρξατο.* Hinc edidi:

ἀφ' οὗ γὰρ αὖ βλέπειν ὁ Πλοῦτος ἤρξατο.

Nisi malis propius ad Rav. fidem *ἀφ' οὗ γὰρ ὁ Πλοῦτος αὖθις ἤρξατο βλέπειν*, vel *ἀφ' οὗ γὰρ ὁ Πλοῦτος ἤρξατ' ἐξ ἀρχῆς βλέπειν* cll. 1113. *ἀφ' οὗ γὰρ ἤρξατ' ἐξ ἀρχῆς*

βλέπειν ὁ Πλοῦτος. Superest ut aliorum scripturas afferam, quorum Elmsleius coniecit ἀφ' οὗ γὰρ ὁ θεὸς οὗτος ἤρξατο βλέπειν, Bergkius autem ἀφ' οὗ γὰρ ἀναβλέπειν ὁ Πλοῦτος ἤρξατο.

His scriptis video Adolphum de Velsen hunc versum tamquam spurium et ex vs. 968. effictum proscripsisse, cuius criseos hanc potissimum causam habuit, quod vs. 1272. ad Chremyli verba τί δ' ἔστιν ὦ βέλτιστε; non recte a sacerdote infertur τί γὰρ ἀλλ' ἢ κακῶς; Quam ob causam, deleto illo versu, coniungit τί γὰρ ἀλλ' ἢ κακῶς ἀπόλωλ' ὑπὸ λιμοῦ; Ingeniosa haec coniectura est, quamquam mota de primo versu dubitatio sic removeri potest, ut scribatur τί δ' ἔστι σοι βέλτιστε; quibus iam recte infertur τί γὰρ ἀλλ' ἢ κακῶς. Ita servari poterit versus secundus.

* * *

Literis haec consignavi per brumam anni MDCCCLXII. postea subinde retractavi et supplevi, quoad in hac valetudine licuit.

Berolini a. MDCCCLXV.

A. M.

INDEX.

U. Υ.

X. Ξ.

Z.

CORRIGENDA IN TEXTU ARISTOPHANIS.

Acharn. 215. corr. φαύλως 216. ὑπ' ἐμοῦ 633. φησὶν 1109. τριχόβρωτες 1185. φάος τοῦτ'

Equit. 535. νίκας 870. ταῖς 878. ταῦτα

Nub. 63. ἦ 264. ἀήρ 534. ἦδ' ἡ 638. ἦ 1023. καταπυγοσύνης σ' 1117. ἀγροὺς 1242. ἦ μὴν

Pac. 303. φοινικικῶν 927. παχείᾳ 1259. ἀποδώσεται

Aves. 15. τώδ' 77. ἀφύας 623. χεῖρ' 715. πωλεῖν ἤδη καὶ 862. θῦε 1021. Σαρδανάπαλλος 1124. τεῖχος 1146. αὐτοῖς 1226. ἄρξομεν, ὑμεῖς δ' 1239. δείσας

Lysistr. 676. διαγράφω 657. τἀψήκτῳ 700. ποιοῦσα 704. παύσεσθε 873. δεῦρο 1028. ἐκσκάλευσον 1149. ἀφήσειν

Thesmoph. 50. πρόμος 346. ἑταίρα 704. ἐξαράξω 1012. πάντως 1061. καὐτή

Ran. 22. υἱὸς 26. φέρων 111. ἔχρω τόθ' 140. ὀβολὼ 815. ὀξυλάλου

Eccles. 186 sq. ὁ μὲν — ὁ δ' οὐ 580. ἐρριμμένος 1017. προρρούσῃ



